23

Ruffo

CC.3.

7
16-E
43

7
4 I
24
NAZIONALE
VITTORIO
MANUELE

7-16 E 40

Digitized by Google

J. 18



Digitized by Google

XVIII. 13. 7

Digitized by Google



BELLUM SCYTHICO-COSACICŪ
Seu
De Conjuratione Tartarorum
Coſacorum et plebis Ruſsicæ
Contra Regnum Poloniæ
ab
Invictiſsimo Poloniæ et Sveciæ Rege
IOANNE CASIMIRO
profligatâ
Narratio
Plenioris Hiſtoriæ operi præmiſsa.

Autore
Ioachimo Paſtorio.

DANTISCI
Sumptibus Georgÿ Förſteri
S. R. M. Bibliopolæ
Anno 1652.

Bellum Scythico-Cosacicum,

Seu

De Conjuratione Tartarorum,

Coſacorum & plebis Ruſſicæ
contra Regnum Poloniæ

ab

INVICTISSIMO POLONIÆ & SVECIÆ REGE

IOANNE CASIMIRO

profligatâ,

NARRATIO

Plenioris Hiſtoriæ operi præmiſſa,

Autore

Ioachimo Pastorio.

DANTISCI.

Sumptibus Georgii Förster i,
S. R. M. Bibliopolæ.
ANNO MDC. LII.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
POLONIÆ & SVECIÆ REGI

IOANNI CASIMIRO.

QVam antè perduellionem propitium Virtuti Tuæ Numen ſubjecit; Eam nunc iterùm, Rex ſereniſſime, ſed literarum monumentis impreſſam Majeſtati Tuæ ſubjicio. Vtinam in deſcribendâ eâ æquè feliciter veſtigia Tua legerim, quàm Tu, in oppugnandâ, præviæ Divinæ Majeſtatis ſecutus es ductum! Vtinam & enarrata hîc rebellio non minus ſaltem clementem M.tis Tuæ vultũ experiatur, quàm nuper eadem profligata & victrici dexteræ ſupplex facta ſenſit! Equidem non ambivi hîc ego, dum ſcriberem, Maj: Tuæ gratiam: ſed tantò majorem mihi ſpem ejus feci, ſi non ambiiſſem. Non amat illa verborum blanditias, nec eget fucatis laudibus, verorum ſibi decorum conſcia. Ea egiſti, fortiſ-

Digitized by Google

ſime Regum,ut citra additamentorum lenocinia admirabilem Te reddant ſeculo: & poſteritati Te ſatis commendabunt, ſi ſuis modò coloribus, miſſis omnibus offucijs, fuerint expreſſa. Stupuimus nos, cum miros Virtutis & fortunæ Tuæ greſſus vel auribus oculisve uſurpavimus, vel calamo ſumus ſecuti. Sed non minùs futura etiam ſtupebit ætas, cum Te tantorum laborum victorem Herculem, cum tam perturbatæ ante, & concuſſæ vi ſubitâ Reipubl. velut Statorem Iovem audiet vel leget. Mirabitur exercitus, quales Orbi olim flagellando ſuffecêre, in Regni, antequam Tuum eſſet, viſcerib. graſſatos, ſimul atq; id, conſenſu ſuffragiorum, Tuum factum eſſet, ad ipſam novi faſtigii famam, ad primum manûs Tuæ, quanquam nondum ferrum, vix & ſceptrum adhuc tenentis nutum, arma victricia retraxiſſe. Mirabitur Te poſtea immensâ barbara-

barbararum gentium multitudine penè circumfuſum, virtute tamen Tibi Tuisq; , etiam loco disſitis, ſed periculo pariter & majore circumdatis viam feciſſe, & mox ex feroce ſucceſsibus rebelli ſupplicem, ex immaniſſimo hoſte habuiſſe ſtipendiarium, ex teterrimâ deniq; magnorumq; diſcriminum minacisſimâ nube ſudum pacis retuliſſe. Mirabitur, cum toties hæc ſeditionis lerna viribus nil imminutis adverſum Te reſurrexerit, Te pariter animis copiisq; nunquã non majorem iviſſe contra: donec vaſta illa & ex bellacisſimorũ populorum ſocietate coalita potentia enſis Tui aciei illiſa, in fragmenta & partes disſiliit. Iam Virtutes Tuæ, quibus iſta poſt Deum debentur, quam Tui venerationem in animis omniũ, qui intelligent, excitabunt? Ego ut in hiſtoriâ effecta earum, non ipſas memoro: ita hîc ipſas, quippe extra hiſtoriam, extollere oratione po-

 teram.

Digitized by Google

teram. Attamen ne quicquam auribus Tuis dare, & ſic juxtà rerum in hiſtoriâ memorandarum fidei detrahere videar, malo aliquas tantùm & paucis attingere. Quâ reverentiâ adſtupebunt omnes Pietati, ubi nihil niſi factis ritè ſupplicationibus, & impetratâ Numinis pace ordientem Te: ubi cum DEO lubenter, quoties licet, pieq; morantem videbunt? cum alioquin morarum omnium ſis impatientisſimus. Certè ſi quę Tibi Virtus propria eſt, eſt Celeritas in rebus agendis. Non inanibus unquam, non ſomno, non ullis voluptatum illecebris attineri Te pateris, quin agas agenda: quin quæ occæperis, perſequare. Inde fit, ut omnium judicia & ſpem quoq; velocitate præcurras: & ſæpè in metâ rerum conſiſtentem Te audiant, qui ſtadii carceribus vix putant egreſſum. Nempe trahis haud parùm de naturâ cœleſtium, quæ jugi agitatione ſervare ſe creditur: & haud

Digitized by Google

haud delicatè enutritus, nec molliter habitus à Fortunâ, ita aëri cuivis, cuivis moleſtiç ferendæ inſveviſti, ut labor in naturam Tibi videatur vertiſſe. Jam ubi ad periculorum aciem deventum eſt, quàm Tu imperterritus manes inter crepera! quàm aliis quoq; metum eximis nihil metuens ipſe! quâ fiduciâ ſacrum Caput inter media hoſtium tela circumfers! quàm fortiter ipſo corporis objectu fortunam abire viſam ſiſtis! Tanto præterea animo, quanta acceſſit rei militaris peritia! quàm pulchrè aſſecutus es, ut aciem ordinare ipſemet, ut imperia dividere Tuo Marte poſſis, ut omnes etiam Veterani Ductores non auſpicia tantum Tua, ut ſummi Regis, ſed & ductum, ut experti Imperatoris, animis non autoritatem magis, quàm prudentiam Tuam reverentibus ſequantur. Nec tamen Tui fiduciâ inflatus alienum ſpernis judicium. Ha-

deò crebrò repetitos ictus animum, quantumvis Heroicum: nec credi poteſt, citra dolorem fuiſſe vulnera toties refricata, toties aliis reſciſſa vulneribus. Nihilominus ita ſub fræno tenuiſti affectum, ita mentem nec de gradu deturbari ſuo, nec à rerum arduarum tractatione avocari paſſus es, ut cum ſolandus eſſe credereris, maximum omnibus fueris ſolamen: cæteris verò planè miraculo ſis conſtantiâ iſtâ, in quam adeò parùm Fortuna irata poſſit. Ego, Rex Sereniſſime, inter recens nati Principis gaudia hoc offerre opuſculum parabam: & Auguſtos illius natales fætui huic per ſe tenui, & nonniſi ex virtutum triumphorumq; Tuorũ fulgore ſplendenti, gratiam, tempore ipſo conciliante, addituros augurabar. At deſtituit eum ſperata ex illo ſidere lux: & pullam Aulæ faciem ſubire trepidus iſte cogitur, cui alioquin diffuſa per Regiam univerſam lætici-

cia ſe-

cia ſereniorem aditum videbatur datura. Nihilominus etiam ſic fidenter accedit; futurum ſcilicet ſperans, ut Tu, Auguſte, poſtquam illam Naturæ & Vultûs Tui ſvavisſimam imaginem præcox fatum abripuit, hâc alterâ Virtutis Tuæ qualicunq; effigie inſpectâ, damnum iſtud, quantumvis ingens & incomparabile, ſolari ac lenire quodammodo ſuſtineas. Deus opt. Max. quem ſingularibus ſemper beneficiis Patrem Tibi eſſe agnoviſti, id deniq; tantis his doloribus addet ſolatium, ut feliciùs poſthac, nec unius ſobolis Patrem Te reddat. Sed & Regios labores Tuos ita provehet, ut magnificum illud Patris Patrię nomen, quod faventis populi jam dudum Tibi acclamatio dedit, creſcentibus indies meritis Tuis faciat perenne. Ita ſpero, ita voveo

T. Maj:

ſubjectiſſimus

Servus

IOACHIMUS PASTORIUS.

Digitized by Google

PRÆLOQUIUM AD LECTOREM.

Cum omnis hiſtoria, Lector benigne, ardui operis eſt, tum illa inprimis, quæ res ſui ævi, atq; uti â dirigentiū moderamine manuq; adminiſtrantium recentes ſunt, excipit deſcribitq;. In unâquaq; accurata rerum noticia, judicium benè ſubactum, vis dicendi matura, & dictis facta æquare potens, animus deniq; gratiæ odijq; expers requiritur. Quò parciùs ſingula iſta vel univerſa ſcribenti adſunt, eò longius ab hiſtorici & officio & laude abeſſe judicatur. Porrò Principum plerumq; & gentium totarum res ac facta argumentum ſunt hiſtoriæ. Principum autem ſecreta conſilia, ex quib⁹ rerū cardines & graviſſima negotia dependent, nec ſcire nec tradere ſemper fas eſt: tum ſi non tradas, perfunctorius videberis hiſtoricus. Iam Regnorum gentiumq; certamina quando enarrat ſcriptor, fieri non poteſt, ut adverſis inter ſe illis vel æmulis idem placeat narrator. Sicq; in quiete etiam armorum bellum in hiſtoriam gerunt alterutrius partis judicia.

Sed

Sed hiſtoricorum difficultates omnes mihi experiri ſenſu magis datur, quàm vel verbis exprimere, vel ingenio induſtriâve eluctari. Aggravari autem eas dixi cumulariq;,ubi in re recente ſtringendus ijs ſtylus & formandum aliquod opus eſt. Rapit equidem id, ſi aliquid genij habet, in ſe oculos ſeculi, ſed minimè omnibus plerumq; ſatisfacit. Haudquaquam ſanè illis, qui famæ ſuæ vel cum diſpendio veritatis ab hiſtorico vellent conſultum. Uti equidem maxima pars mortalium, etiam bonorum & ſapientum, poſt animæ ſalutem nihil magis ferè expetit, quàm proſperam ſui memoriam: gaudetq; eam hiſtoriæ imprimi, inprimis tali, quæ & ſe & ea, quæ memorat, ab interitu vindicare idonea videatur. Sed quemadmodum meritis & fortunæ ſucceſſib⁹ homines differunt,ita non eodem modo haberi in hiſtoria poſſunt. Quæ ſpeculum eſſe debet, faciem meritorum cujusq; bonâ fide referens. unde fit, ut imagine ſui, quam iſtic expreſſam, & abſentes etiam repræſentare ſciunt, delectentur alij,alii multū offendantur. Sunt, qui nullam ſui,aut parcam,aut frigidiorem ſaltem quàm alterius factam mentionem dolent: in diminutionem ſcilicet ſui accipientes, quæ de alio traduntur glorioſa. Ita offenſam, quam in æmulum vel inimicum con-

Digitized by Google

cepêre, in hiſtoricum derivant. Aliquorum ſtomachus libertatem ſcribentis ferre non poteſt: aliorum auſterus & ſeculo rebusq; obiraſcens genius nimiam libertatem deſiderat. Quibus adeò non placebis, niſi multum ſubinde miſcueris acerbi, propeq; ad obtrectationem accedas, quam pronis auribus accipi jampridem acutiſſimus hiſtoricorum dixit. Alius deniq; non ita, ut tradat hiſtoria, rem geſtam eſſe memorat, aliter eam, etſi non melius, & magis ſæpè oſtentandi ſui, quod præſens fuerit, quam veritatis ſtudio narrans. Cum quæ unius in belli prælitq; diverſis locis geruntur, vix ullus privatus ita plenè ſcire queat: quam ij, qui in omnes partes imperia dividunt, aut dividentibus adſunt, undiq; etiam, quid agatur aut actum ſit, exigere cum curâ, noſſeq; adeò accuratius poſſunt. Ab his igitur liquidiorem veritatem haurire valent, qui rebus componendis manum applicant. Ex talibus maximam partem hauſta eſt quam hic vides, belli Scythico-Coſacici narratio. Viris nempè genere & dignitate Primarijs, & quod caput eſt, talibus, qui rerum hic deſcriptarum pars magna fuêre: ad Veritatis autem curam bonæ conſcientiæ pretio, & ipſo cumprimis vitæ genere ducuntur. Ex ſimilibus, ſi non ijſdem accepêrunt,

pêrunt, qui antehac aliqua hic memorata (nam totam belli hujus hiſtoriam nemo hucusq́;, quod ſciam, evulgavit) ſcripſêre. Quibus uti laudem ego ſuam ab omnibus, ita â me alicubi in iſtis meis multum deberi lubens profiteor.

Cæterùm hoc quoq́;ne, Lector, neſcias, oportet: de primis Belli hujus initijs actibusq́; alio in opere prolixius curatiusq́, me ſcripſiſſe. Vt ne mireris, quæ ad Flavas aquas, quæ ad Corſunum, quæ ad Pilaucos, ad Leopolin, Zamoſciam, quæ in interregno alia, in Electione item & Coronatione Sereniſſ. Regis noſtri acta ſunt, levi adeò brachio hic attacta eſſe: merêq́; adeo Compendium hic tantùm offerri tibi. Non enim repetenda duxi, quæ peculiari executus ſum libro: gratiore forſan Tibi, cum prodibit, futuro, quòd plurima togata bellicis miſceat, cum iſtud nunc nihil niſi Martia ſpiret. Si quis eſt, qui aliquid, ad augendum ornandumve illud opus, utile aut neceſſarium habeat, com-

Legi autem præter illa primaria, quæ inuni, literas varias virorũ in negotiis verſatiſſimorum: aliqua etiam Commentaria, ſeu diurna: Inprimis quæ vir natalibus & Virtute inſignis nec otioſus rerũ ſpectator Andreas Miaskovvski, Dapifer Halicienſis, Aulicus Regius, ad Sereniſſimum Principem Carolum, Epiſcopum Plocenſem & Vratislavienſem vernaculo ſermone ſcribere ſolitus eſt. Vidi etiam ea, quæ Rever. & præclaræ tum eruditionis, tum eloquentiæ Vir Albertus Wiiuk Kojalovicius de S. I. Theologus de prioribus belli hujus actibus ſigillatim ſcripſit. Sed de Lithvanicis rebus legere quoq́; mihi contigit ipſius, qui præcipua ibi, auſpiciis Regiis geſſit, Illuſtriſſimi Principis Ianuſſii Radzivillii relationem. De Zborovianâ & Bereſtecianâ expeditione extant relationes anonymæ, quæ etſi breviter & raptim ſcriptæ, utiles tamen mihi fuere.

communicet quæſo mecum: benè utiq; de me & magis de publico meriturus. Et iſta maximè cauſa eſt, cur hæc, utcunq; cruda adhuc, prę-mittere properaverim. Ego ſemper & â quolibet docere idoneo diſcere aliquid, & docenti gratias agere paratus ſum: id quærens ſolùm, ut hiſtoria in perfectionem aliquam tempore ipſo, Veritatis, ut ajunt, magiſtro, matureſcat. In iſto, quod jam minus cultum limatumq; accipis, opuſculo, ſeveritatem judiciorum meritò deprecor, poſcoq; veniam; cujus equidem indigum me tum mea inter multas occupationes hæc ſcribentis, tum Typographi imprimentis feſtinatio effecit. Vbi res & plura identidem aperiens dies ſtimulum copiamq; ad curam ſecundam dederit, faxo DEO favente, ut meo Tuoq; cumulatiùs ſatisfiat deſiderio. Interim vale, Lector, & comiter fruere præſentibus.

Digitized by Google

HISTORIÆ BELLI SCYTHICO COSACICI
LIBER I.

Bella Poloni, omnibus retrò ſeculis, varia & ſubinde magnæ molis geſsêre. Ac plerumq; fortunam virtuti parem; ſed & interdum, quâ fatorum viciſſitudine res humanæ verſantur, adverſam experti ſunt. At nullus unquam iis atrocior vel periculoſior belli labor, quàm nuper à perduellibus Coſacis incubuit. Qui in perniciem Poloniæ, non immenſam tantùm Ruſsicæ plebis multitudinem; ſed ſimul univerſam Tauricanam potentiam traxerant, & trahere cæperant Turcicam. Inaudita ante & tantò

Digitized by Google

nunc ſanè formidabilior iſta, ſervilis qvidem turbæ, ſed ut numero, ſic armis pedeſtribus, & inediæ, cœli, laboriſq; cujusvis tolerantiâ apprimè validæ, cum pernicisſimis Tartarorum alis conjunctio fuit. Hâc quippe minimùm quater iteratâ coitione ingens ſemper, ter quadringentorum propè millium conflatus eſt exercitus. Qui quantum magnitudine potens, tantū animis infeſtus, omni profectò virium ſuarum conniſu, nec datis, niſi brevibus temporum quaſi ſpiramentis, ipſum planè jugulum Regni hujus appetijt. Luctata olim Polonia eſt cum Germanici imperij mole, & poſteà cum Cruciferis, qui pariter Germaniæ nervis nitebantur, acerrimè & diu Marte ambiguo decertavit. Sed in finibus tamen Regni conſtitêre ea bella, & integrum hoc, ſecumq; domi concors,

cors,

cors, in hoſtem, bono ordine, exſurrexit. Nunc fortuna ſecuram & longæ pacis felicitate penè laborantē deprehenderat Rēpubl: Eiq; inſuper, caſu inexpectato, eodem tempore & exercitum finium protectorem infelix clades, & caput rerum Regē mors intempeſtiva abripuerat. Vnde robore, regimine, conſilio, quale res crepera poſcebat, deſtitutæ, impunè aliquandiu inſultatū eſt. Pervolitârunt quondam has terras Tartarorū ingentes exercitûs, & Viſtulâ fl: ſuperato, imò & Poloniâ omni trajectâ, Sileſiā quoq; corripuêre. Sed deprędatio tamē hæc magis, quàm bellū fuit, & velut ê ſtipulâ ort⁹ iſte ignis facilè deflagravit. Nūc eadē illa gens cum ipſomet Principe ſuo in viſcera Regni ſeſe injecerat, & rebellium Ruthenorum, ipſaſq; adeò Poloniæ vires opeſq; pro ſtabilimento adepta,

 pta,

pta, longè majus quid, quàm prædam tumultuariam agitabat. Etiam Turca, adductâ ad Chotimum omni potentiæ ſuæ mole, obruere hoc Regnum ſtatuerat. Sed vim exercitûs Poloni, & hos ipſos perfidiâ nunc deformes Coſacos ſibi multùm noxios expertus, univerſos deniq; Cives rectis auſpicijs & pulchro inter ſe conſenſu, in patriȩ defenſionem concitos ſentiens, omiſsâ ſpe ſuperbâ, ad pacem quærendam flexit. Nunc illi ægrum malis internis Reipubl: latus offerebatur: nudantibus hoc ei, atq; objicientibus illis ipſis, quos is antea in finium Regni præſidio poſitos, ſubinde verò per Pontum Euxinum liberè graſſatos, intra ipſam Conſtantinopolin ſuam exhorruerat. Porrò ex inopinato erupit bellum iſtud, èq; tenui & in occulto gliſcente ſcintillâ. Sed quæ facilè vires

vires ſumpſit, quod in gentem inciderat populoſam admodum, & jam pridem excurſionum Scythicarum metu, tum in Herorum ſuorum ſatellitio arma tractare benè doctam; Polonorum verò & Religioni & Dominio (de majori parte loquor, nam ſunt, qui excipi merentur) intra animum vehementer inimicam, & nonniſi neceſsitate tolerantem præſentium, cœterùm occaſiones ad nova avidè jamdudum veſtigantem. Quò proniùs, ubi Ducem nacta eſt, ad oſtenſum libertatis ſignum accurrit. Dux ille & autor ſeditionis Bogdanus Chmelnicius erat, vetus militiæ Coſacus, & præter uſum armorum, qvem bellis ſuperioribus acquiſiverat, literarum etiam, quod rarum in illâ barbarie, non rudis. Vnde olim ex gregario Centurio, & Coſacorum ſubinde ad *Autor belli ſervilis & initium.*
 Comi-

Comitia & Regem internuncius, poſtremò Notarius erat Ordinarij illius Coſacorum exercitûs, qui ex arbitrario & infinito quondam eorum numero, annis ſuperioribus, in ſex millia contractus, ſub militiæ Polonæ Ducum regimine, quod antea effrenes illi diu reſpuerant, agebat. Sed idem homo Regi fortisſimo VLADISLAO IV. bellum longinqvum paranti, viſus erât idoneus, quem exercitui Coſacorum, primo ſcilicet belli hujus inſtrumento futuro, (quam in rem ejus etiam numerum tum augeri voluit) præficeret. Vnde ille inflatior, & quia belli externi decreto interceſſum eſſet â Republ:, domi opus quærens, cum forte in litem ſuper agri ſui finibus cum Czaplinscio Subpræfecto Coniecpolsciano incidiſſet, privatam, quam accepiſſe videbatur injuriam, publico

blico malo ulciſci ſtatuit. Et facilè ſocios flagitij repperit in locis, ubi licentiæ, quam Coſacorum ante fuiſſe omnes meminerant, ſpe ac deſiderio, pax ipſa plerisq;, quaſi ſervitutis alimentum, faſtidio erat.

Quibuscum etiam tandem in ſolitum Coſacorum receptum profugit: ad inſulas ſcilicet Zaporovianas, quas Boryſthenes rapidisſimus Sarmatiæ fluvius, quinquaginta admodum infrà Kioviam milliaribus per objacentes transverſim ſcopulorũ complures gradûs*, præcipitans, & in multos hinc alveos diviſus, efficit. Piſcatui quidẽ & faciendis in Pontũ Euxinum excurſibus opportunas, cœtera ſteriles & inhoſpitas, & in quibus duritiem quisq;, qui non intuliſſet, facilè indueret. Jn his hyeme ad arcendam Polonorum vim, ſuaq; interim firmanda

*Qui in linguâ Sclavonicâ Porohi & inde qui ultra hos habitãt, Coſacĩ Zaporoviani vocantur.

firmandâ, uſus perduellis, literas tamen ſubinde ſcribebat obſequium præferentes, & ut de injurijs, quà ſuis, quà Coſacorum publicis querulas, ita bellum deprecantes. Haud dubiè moram, quâ cœpta ſua robur acciperent, ita quærebat. At cum deniq; vere ineunte, arma in ſe à Nicolao Potocio Caſtellano Cracovienſi & ſimul ſupremo Regni exercituum Duce moveri intelligeret, viribus ſuis, quanquam ſubinde augeſcentibus, diffiſus, ad Tartaros confugit; qui tum in camporum deſertorum ſolitudinibus hybernabant, prædę, ſuo more, intenti. Eos ducebat Tohaibegus, Precopienſis Præfectus, homo militiæ impiger, turbidus porrò, & ipſi Tauricæ Principi Chano ſæpè refractarius. Unde adeò hic vim illius aliò diverti haud ægrè permittebat. Eum

itaq;

itaq; Chmelnicius blandâ ſpe prędę in ſocietatem armorum & fœdus pertrahit; nihil obſtante antiquâ hoſtilitate, quâ ſemper antehac Tartari Coſacis, & hi magis illis ſeſe formidabiles, damnis mutuis, effecerant. Sed facilè tales, ac nempè prout utilitas ſvaſerit, ſumunt ponuntvè odia. Hi porrò nunc, ut fieri ſolet, converſo â ſeſe in communem hoſtem bello, tanto arctiore amicitia coaluêre.

Favit locorum, in quibus hęc agebantur, longinquitas ac ſolitudo, ut nonniſi ſerò de ſocietate iſtâ ſuboleret Ducibus Polonis. Qui hyeme hactenus præpediti, jam tantò celerius ad reſtingvendum incendium, toties ſcilicet ante, ſed ægrè ſemper, nec niſi multo Polonorum ſangvine extinctum, ſibi properandum duxêre. Et ut in ipſo

ſuo cubili, inſulis ſcilicet Zaporovianis, opprimeretur perduellium factio, eò pars exercitûs Poloni, ſtipendiariorum præcipuè Coſacorum manus, flumine, pars terreſtri itinere, ſub regimine Hyacinthi Schembergii, Coſacorum, qui Reipubl: merebantur, Commiſſarii, præmiſſa eſt. Juſſi ſimul ibant Stephanus Potocius Supremi exercituum Ducis filius, Sapieha, Czarneci9, alii: alacres omnes & generoſo in gloriam impetu calentes. Sed quos ſecundum Boryſtenis flumen devexerat, cum in Inſulas Zaporovianas delati eſſent, occiſis Tribunis ſuis, ad Chmelnicium tranſiêre: nihil fidem morati, quam & olim, dum in ordinariam Reipubl. adſciſcerentur militiam, & nunc, antequam egrederentur, iterato ſacramento, addixerant. Occaſio nempè aperuit

Digitized by Google

ruit animos, qui perfidiam in Polonos, fidem in gentem ſuam interpretarentur. Atq; hi Chmelnicio adjuncti, ubi unà cum illo in cæteros ſodales ſuos, qui terrâ iverant, incidiſſent, facilè nutu clamoreq; perſvasêre, ut idem, quod ipſi feciſſent, facerent. Nutantibus ſuâ ſponte & nunc, inſuper exemplo „ hortatuq; ſociorum commotis nonniſi „ primâ voce opus erat. Quæ ubi ſonuerat, „ tranſijt ſine morâ & uno impetu quicquid Coſacorum iſtic erat, præeunte cæteros Draganorum manu, quę gente Ruthena, habitu Germanos mentiebatur. Vti paſſim tum, etiã alibi, inter Nobiles mos inoleverat; ut ſubditos ſuos ita indutos armatosq; ſatellitio ſuo admoverent. Quę res ſumptuum compendio inventa, hoſtilem exercitum, hoc contra Nobilitatem bello, multum auxit. Cæterùm

terùm tali quater propè millium Coſacorum transfugio multùm animatus firmatusq; Chmelnicius cum reliquis Polonis, qui mille quingenti erant, tanto minus negotij habuit. Multis equidem diebus fortisſimè ſe illi tutati ſunt, & tandem etiam, quanquam, pactione inſidioſâ, machinis ſuis exuti, & jam ad paucos admodum redacti; ſtructâ tamen ex curribus, quos ſecum duxerant, carragine, reditum ad Duces ſuos majoremq; exercitum moliebantur. Et ita euntes pugnantesq; ſimul, tria milliaria confecerant, donec tandem circumfuſâ multitudine fatigati, ubi inſuper Schembergius & Potocius graviter vulnerati, Sapieha verò captus eſſet, omnes in hoſtium manus devenêre, & quotquot ſuperſtites eſſent, in Tauricam abducti ſunt. Potocius

Prima Clades.

cum

Digitized by Google

cum ob ſauciatum admodum corpus duci non poſſet, in campis relictus, ibidem animam, decorâ æquè ac luctuosâ ſuis morte, exſpiravit.

Præcurſorem hunc exercitum ubi partim tranſitione, partim victoriâ in arbitrium ſuum redegerat Chmelnicius, utendum fortunâ & primâ initiorum famâ ratus, in ipſos Duces, qui pedetentim interim reliquum quinq; plus minus millium exercitū, admovebant, eundi impetum ſumpſit. Hi verò diu ſucceſſuum nuncios fruſtrâ præſtolati, tandem & Tartarorum apud Chmelnicium præſentiâ, & perfidiâ ſtipendiariæ Coſacorum manûs, & clade deniq; reliquorum intellectâ, retrocedendum duxêre; ne hoc, quod reſtaret propugnatoris Reipubl: exercitûs ibi in caſum darent, ubi multi-

tudini hoſtili impares, ex Poloniâ auxilio ſuffulciri non poſſent. Sed cedere, non fugere volentes facilè aſſecutus eſt hoſtis, inprimis Tartarus, notæ celeritatis. In cujus antecurſores cum ſtrenuè detonuiſſent machinæ tormentariæ, atq; etiam ab exſilientibus hinc ſpeculatoribus impigrè ſubinde certaretur, capti deniq; ex hoſte aliqui, qui tormentis ſubacti, quadraginta millia Tartarorum, ſeptem Coſacorum, ſed quæ in horas accurrentis è Colonijs multitudinis affluxu augerentur, adeſſe confeſſi ſunt. Inde tantò magis virium nimia imparitas implicabat Ducum conſilia,, adeò ut alij ſvaderent, plures & potiores diſſvaderent prælium. Et in loco morari non tutum erat, ubi circumfuſus undiquaq; hoſtis pabulum viris equisq; erepturus erat,

erat. Sub Carraginis igitur tegumento porrò exercitum retroducere viſum eſt, Et ita ad ſesquimilliare, acriter dimicando, hoſtemq; præcurrentem ſclopetorum ictibus fortiter ſubmovendo, proceſſum erat ad ſylvam, quam tum denſa arbuſta, tum inprimis ſolum uliginoſum & vernâ tempeſtate ad gradum inſtabile, arduam tranſitu, & curuli præcipuè aciei (qualis Carrago eſt) ineluctabilem faciebant.

Altera clades à Coſacis & Scythis. Hærebant pasſim in cæno currûs, alij evertebantur, nec minus equi hominesq; pedem ê tenace limo vix extrahere ſufficientes, laborabant. Iniquisſimo loco deprehenſam ſe ſentiebat Polonorum fortitudo, tamen usq; vires ſuas omnes contra intendebat: nil morata etiam, quod in ipſo luci Be- *Proditio.* tulacei ingreſſu, mille octingenti Rutheni

Digitized by Google

theni ex Coſacis ſtipendiarijs ad hoſtem profugiſſent. Sed curruū plurimis in cœno relictis, hiabat magis magisq; Carrago; & progredi jam etiam ideò vix poterat, quod Coſaci viam foſſis transverſim ductis & concædibus impediverant. Ita quatuor ferè horis non cum hoſte magis, quàm cum adverſiſſimo loco luctati Poloni ſunt, donec Carraginis ſepe alibi interruptâ, alibi per ipſos cadaverum cumulos conſcensâ, undiq; ſubiret hoſtis, & ſtrage inter obvios datâ, reliquos vinciret; atq; inter eos, ipſos Duces & complures Tribunos Ordinumq; Ductores. Quos omnes in navatę precium operę Scythæ in Tauricam ſecum abduxêre; in viâ inſuper hominum pecudumvè immenſis agminibus juxtà correptis.

Parùm

Parùm erat irato Numini cuſtodem Reipub: exercitum, & tot fortisſimos viros in hoſtium lubidinem tradidiſſe; Capite etiam Rege miſeram truncavit; & tanquam non illicò revaleſcere eam vellet, præſentisſimum omnium iſtorum vulnerum remedium abſtulit. Erat in Lithvania tum Rex, ſed ſimul ut nuncium de rebellibus Chmelnicij cæptis acceperat in Poloniam reflexit, conſilia & Majeſtatem ſuam, hominis, Regio favore adeò nefariè abutentis, audaciæ oppoſiturus. Sed ubi Merecium, (Lithvaniæ oppidum eſt) pervenerat, ſubitò doloribus calculi & febri deprehenſus, dies aliquot inter morbi incrementa conſumpſit, magis medicamentis, quàm medicis ægrum deſtituentibus. Cùm langveſcere ſe videret, teſtes ultimæ

Vladislai IV. Regis extrema.

voluntatis ſuæ tabulas Leoni Sapiehæ M. D. Lithvaniæ Procancellario ſignandas & porrò, ut uni illorum quatuor, quibus eam curam commiſerat, exequendas tradidit. Inde magis magisq; vocantium fatorum vim ſentiens â claro Societatis Jeſu Presbytero Gregorio Schönhovio ad extrema præparatus eſt, nec multo poſt vigeſimo die Maji, anno ætatis ſuæ LII. placidè & integris animi virib⁹ expiravit. Princeps ſanè inter fortisſimos & felicisſimos numerandus. Qui pueritiam ſtatim ſub pellibus agere inſvefactus, in Moſcovia prima belli tyrocinia depoſuit, pro præmio ipſum etiam Moſcoviæ dominatū adepturus, (uti ſanè jam electus erat) niſi fraudem gentis reveritus Sigismundus Pater deliberando vitæ poti⁹ filij, quàm dignitati conſulere maluiſſet. Poſteâ

Ejus elogium.

ad

ad Chotimenſe bellum miſſus, haud exile ibi momentum rebus addidit. Certè ejus felicibus auſpicijs Oſmanes Turcarum Tyrannus, poſt effuſas attritasq; vires ſuas, eò compulſus deniq; eſt, ut remiſsâ Poloniæ occupandæ ſpe, ſatis ſibi putaret, ſecuram â Polonis pacem retuliſſe. Patri deniq; defuncto ſuffectus propè ſimul cum purpurâ Regiâ paludamentum induit. Smolenſcum enim tum Moſchus vi ingente circumſederat. Id longè minore exercitu liberavit Vladislaus, ipſum ſimul obſeſſorem ita deniq; circumgreſſus, ut ad arma ſuppliciter deponenda militem, ipſum verò Principem ad redimendam aliquot provinciarum damno quietem adigeret. Pariter poſteà Abaſibaſſam ipsâ adventûs ſui famâ è Podoliæ finibus exegit; & mox

 quæ in

quę in Pruſsiâ amiſſa erant, pactis cum Sveciæ Regno inducijs, recuperavit. Deinceps pacis artibus ævum transegit; magis hoſte quàm belli amore carens; unde ad extremum, ne otio luxuriaret aut corrumperetur Poloniæ felicitas, pacem ferè bello mutatam optaverat. Sed vitio hominum arma aliò deſtinata in viſcera patriæ converſa vidit; facilè tamen, quicquid eſſet, ſuâ autoritate compreſſurus, niſi fatum inclemens, cæteris malis, omnium maximum mortem ejus adjeciſſet. Quod ereptę ex ſummo diſcrimine Poloniæ glōriam uni JOANNI CASIMIRO fratri & & ſucceſſori VLADISLAI reſervabat.

Neſciebat mortem Regis Chmelnicius, majores haud dubiè ſpiritûs poſt tam proſperos ſucceſſus oſtenſurus, ſi ſciviſſet non ſupereſſe, quem

quem unum maximè reverebatur. Ad hunc proin literas ſcribit, in quibus *turbarum iſtarum calamitatumq́; occaſiones, graviſſimas nempè Præfectorum injurias, & intolerandas Iudæorum depeculationes latè exequitur; ſimul veniam orans eorum, quæ in neceſſariâ ſui defenſione commiſſa ſint. Tartaros remiſſurum ſe, & porrò in obſequio Regis manſurum pollicetur, dum datæ jam olim â Regibus libertatis uſus ſibi & Coſacis permittatur firmeturve.* Chmelnicius ſe excuſat.

Poſteà ſimul cùm obitûs Regij nuncio accipit literas Adami Kiſieli, Palatini tum Braclavienſis, viri autoritate tam apud ipſum, quàm in Republ: validi. In ijs Palatinus ad Chmelnicium ſcribens. *Nihil ſe*, ait, *de bono ipſius ergà Rempubl: affectu dubium, ut pariter proſperam apud alios Senatores ac cives exiſtimationem famamq́; experiatur, efficere conari. Militem Zaporovianum ſemper quidem libertatis & gloriæ avidum, obſequium tamen Regum ſuorum nunquam exuiſſe. Et gentem ipſam Ruthenam fidei ſuæ adeò tenacem eſſe, ut mortem potius decoram, quam vitam perfidiâ deformem probet. Patriam deniq́; quamvis nunc diſcordibus, & ſangvine mutuo pollutis, eandem eſſe, in quâ ſua cuiq́; jura, ſua & libertas, aut aſſerendæ ſaltem libertatis ratio non deſit; patente inter cæteros, & præter cæteros, viris militaribus, in liberâ Republ: pro ſe loquendi tantâ poteſtate, quanta in nullo Regnorum alio. Hæc reputantem Chmelnicium, non poſſe Reipubl: Polonicæ inimicum* Adami Kiſieli Palatini Braclavienſis literæ ad Chmelnicium.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

micum eſſe: indeq; adeò ſibi ad ipſum ut amicum, per Monachum, hominem ſacris ſuis & ætate venerabilem ſcribendi natum impetum, quo ſic ſimul ſuam ergà exercitum Zaporovianum benevolentiam velit teſtatam. Non ignarum Chmelnicium, & quotquot cum ipſo militarent, ſe ſolum Senatorum, Religionis Ruthenicæ, templorumq; & jurium ejus Patronum, in eâ curâ conſenuiſſe & mori velle. Poſt Cumejenſe bellum intactas ſibi ſangvine Ruſſico manus; & ſi quà durius in ipſos conſultum ſit, ſe invito & repugnante factum. Merito itaq; ſuo poſtulare ſe, ut fidem ſibi habeant, cujus negandæ nullam poſſint oſtendere cauſam. Quæ poſt ortũ hunc tumultum facta ſint,
" *infecta fieri non poſſe. Bella, atq; hinc ortam famem, peſtilitatem; mala eſſe divinitus immitti ſolita, & nunc Reſpubl: univerſa hæc incubare vel impendere. Ea autem porrò in exitiũ patriæ ſponte aſperare velle, indignum & nefas fore. Satius enim verò, ultricem Numinis iram precibus, ſuam pænitentiâ inhibere, mitigandisq; potius quàm diducendis vulneribus applicare manum. Certum ſibi, quæcunq; acciderint triſtia, præter voluntatem defuncti Regis accidiſſe. Potocio etiam ipſi, quem infelix expeditio in captivitatem jam deduxerit, diu componendi magis tumultûs, quàm armis perſequendi placuiſſe conſilia. Scire ſe deniq; ex affine Chmelnicij, nec ipſum quidem, cum in Inſulas Zaporovianas ſecederet, quicquam adverſi in Regem aut Rempubl: molitum, In hoſtilitates nonniſi poſt ſuum ex illis terris abitum, deventum: quibus ſtimulis, quâ culpâ, nec notum ſatis,*
" *nec promptum ſibi dicere. Cæterum ab hoſte, ſeu Victor ſeu*
" *victus abieris, non uno certamine, vel Victoriam pertexendam,*
" *vel ſarciendam cladem. Inter domeſticos ubi certatur, etiam*
" *Victori glorioſus gladium cohibere quàm ſtringere ultrà, aut aſtentare. Idcirco & Chmelnicio autorem ſe eſſe, ne Dei Majeſtatem,*

jeſtatem, nevè Reipubl: quietem laceſſat amplius. Quin relegatis ad ſua Tartaris, & retracto ad ſvetas Coſacis ſedes exercitu, inde per Delegatos vera tumultûs iſtius primordia, injuriasq́; quà exercitûs, quà ſuas, ſed ſimul mox fidem, inpoſterum Reipubl: haud defuturam, exponeret. Se ipſum, addit *(idq́; Sanctitatem Eccleſiæ ſuæ, cujus uterq́; ipſorum filius ſit, & antiquæ gentis ſangvinisq́; Rutheni ſacra & decora obteſtans,) Cauſæ ipſorum, quicquid operâ & autoritate poſſit, ſemper promptiſſimè commodaturum. Eum ſibi in Republ: locum eſſe, ut ſe inſcio, nec belli, nec pacis conſilia haberi aut rata eſſe queant; eum porrò animum, qui non bello ejusmodi interno fomenta, ſed terræ & Religioni patriæ apta malorum, quibus ingemiſcat, remedia & æquam pacem afferre optet. An enim non melius vires, in mutua mala jam converſas, in communem potius Chriſtianæ gentis & Religionis hoſtem impendi? annon vel ab illo ſaltem modum internis calamitatibus medendi diſcendum? Non ſemel ſcilicet iſtas gentes, Tartaricas inprimis, mutuis diſcordijs inter ſe commiſſas ad arma provolare: facilè tamen, ubi primæ detumuerint iræ, & ſine arbitris externis, in concordiam redire. Ipſos igitur Barbaros faceſſere jubeant, ipſorum in ponendis diſſenſionibus, exemplum retineant & ſequantur.*

Qui literas portabat Monachus ægrè manûs Tartaricas eluctatus, in exercitu etiam Chmelnicij turbida omnia repperit: tandem tamen convocatâ ad conſilium bellicum turbâ, numeroſâ admodum, coq; ad audiendum ægrè com-

compoſitâ, literę lectę ſunt, & primus Chmelnicius Palatini conſilium approbavit, cui aſſenſis ſine morâ cæteris, conſtitutum, *poſitâ omni hoſtilitate, reſponſum ab aulâ præſtolari; Tartaros in Campeſtria dimiſſos extra noxam Provinciæ, in caſum tamen promptos habere; ipſum verò Palatinum ad ſe invitare.* Et in eam ſententiam miſſum Palatino reſponſum, additâ deteſtatione malorum, quæ ipſis nolentibus & deprecantibus in nocentes juxta & innoxios reciderint. Cùm inuſitatam hanc hoſtis moderationem conſidero, neſcio equidem, cui alij eam cauſę potius, quàm nutui fatorum tribuam. Illo ſanè factum eſt, ut facinoribus ſuis quaſi inſtupeſcens & fortunę velut impar, curſum rerum ſuarum pateretur ſufflaminari. Sed & aſtu non carebat moderatio. Nam licet ipſe, quaſi parſimoniâ humani ſanguinis

Reſpondetur à Chmelnicio & Coſacis moderatè.

guinis & venię facilius impetrandę ſpe, victoriarum ſuarum impetum ſtitiſſe videretur, juxta tamen alibi vim ferrumq; oſtentabat Polonis: vel invitis ſcilicet extorquere ſperans, ſi quid perduellibus dare abnuiſſent. Unde cum ipſe ad Album Fanum Civitatem Regiam, (*Bialacerkew* vulgò appellatur) hæreret, haud procul inde, non ſine ipſius ſcitu impulſuq; coortus alius, nec minoris exercitûs Ductor Crzivonoſsius, homo obſcurus & projectisſimę audacię, infandęq; crudelitatis Ruſſiam Podoliamq; pervolitabat. *Sed alibi Crzivonoſſius tumultuatur.*

Cui prim⁹ omnium Jeremias Michael Dux Viſniovecius, ægrè ex ultimis Rusſiæ trans-Boryſtenianæ oris, cum ſelectâ ſuorum manu eluctatus, & nunc Janusſij Tiskevicij Palatini Kioviæ comitatu, nec non paulò poſt præto- *Dux Viſniovecius Crzivonoſſio ſe opponit.*

D riâ

Digitized by Google

riâ Regis defuncti legione, quam Osſinſci⁹ Caſtror. Lithv. metator ducebat, ſuffultus, manū injecit, progreſſus ejus uno alterovè proſperrimo conflictu ſtrenuè & ſummâ ſuâ cum laude remoratus. Absq; hoc fuerat, jam tum ſtatim cum immensâ illa Rusſicæ plebis multitudine (quę parùm à centum millium numero poſtremùm abſuit) in Poloniæ viſcera infudiſſet ſe hoſtis, regno ad ſui tutelam, quia capite careret, nimis tum langvido. Agnovit ſenſitq; fatum ſuum Respubl: & quantumcunq; poſt felices, ſed nullo maturo ſubſidio erectos Viſniovecij impetus vires ſuas, durante Interregno, concuteret, nihilum ferè proficere ſe animadvertit. Ivit equidem poſt fruſtrà tentatam compoſitionem, in occurſum hoſti pulcherrimus Regni exercitus, ſed in copiâ regen-

gentium regimine caruit. Unde & nihil rectè ibi ſuccesſit, &, quod pesſimum in bello, ſucceſſuum quoq; bonorum ſpes ferè & fiducia abſuit. Non arduum erat videre, improſperè iſtic rem ceſſuram, quia nullâ ſat validâ autoritate, tot conſpicua Regni capita prçumbrante vel regente, imperia, conſilia, negotia omnia mirè implicabantur. Quare tum quidem à pugnando abſtinendum potiùs exercitui prudentisſimi quiq; credidêre: ne flos Regni exponeretur aleæ, quç in certiorem longè perniciem, quàm victoriam videretur inclinata. Convenerat tamen, ut bono ordine & ſub uſitato his terris Carraginis tegumento, nec niſi Conſtantinowum usq; recederet miles. Verùm dum alij movere caſtra incipiunt, alij hâc occaſione abuſi, deſerunt eadem;

Pilaucianus receſſus.

dem; qui mox comites ſociosq; plurimos adepti, manendi & voluntatem & ſecuritatem cæteris abſtulêre. Et ſic ortâ confuſione, dum ejus cauſam pleriq;, nocte inprimis jam incertiora omnia reddente, ignorant, omnes tandem, etiam pugnaciſſimi, abrepti ſunt. Ignoravit felicitatem ſuam Chmelnicius, imò dolum ſuſpicatus, rem nunciantibus fidem negavit; fato haud dubiè rem ſic moderante, ne is dilabentem ſuâ ſponte, & neſcio quâ Panicâ perturbatione præcipitem exercitum urgeret. Poſteà quoq; is velut fortunæ ſuę parùm adhuc credens, lentiùs proceſſit. Ac primò ad Leopolin detineri ſe aliquantum paſſus eſt, urbem celebrem quidem commercijs, & utcunq; munitam, ſed tum non ab annonâ, non â milite inſtructam: adeò ut in

ea re-

Digitized by Google

ea relictus Chriſtophorus Arciſſevius, ſenex laude militari etiam apud exteros inclytus, tum verò in patriâ rei tormentariæ præfectus, cùm quas ad provinciam ſuā deſiderabat, copias ê Polonia citeriore demùm exſpectare juſſus eſſet, defendendæ Vrbi conſilio magis, dum poſſet, adeſſe, quàm imperio præeſſe reciperet. Et ejus quidem ductu, urbs aliquot diebus tutata ſe fortiter eſt: ſed cum arx â defenſoribus deſtituta in hoſtis poteſtatem veniſſet, & hujus immenſo robori (ad trecenta enim millia hominum ille habebat) nullus locus, nedum iſte adeò velut derelictui tum habitus, ſufficere poſſe putaretur; in urbe porrò ipsâ annonæ difficultas magis magisq; valeſceret, non eſt viſum conſultum inani obſtinatione ad extrema illum laceſſere.

Leopolin attentat hoſtis.

D 3 Quare

Quare objectâ offâ,&auri ſcilicet argentiq́, jacturâ exitio ſe exemit civitas. Inde Zamoſcium contendit hoſtis: oppidorum, quę interjecta eſſent, nullo iter ejus remorante. *Zamoſcũ obſidetur.* Eam autem Vrbem operibus Martijs jam olim â Magno illo Johanne Zamoſcio egregiè firmatam, tum verò unicam profugæ Nobilitatis Rusſicę receptatricem ſi occupaſſet, COR Poloniæ in manu ſibi videbatur habiturus. Et ultra menſem equidē magnâ vi illam oppugnavit. Sed tantam oppidanorum, Nobilitatis Belzanæ, Miſcovii Palat. nunc Sendomirię,& deniq; Ludovici Veiheri Palatini Pomeraniæ, qui mille quingentos milites in Pruſsiâ conſcriptos, opportunè huc induxerat, virtutem expertus eſt, ut magno illo& temporis &ſangvinis impēdio parū efficeret, & tandem ingruente hyeme

hyeme, inprimis verò de Sereniſſimo Joanne Caſimiro in Regem electo allapſis nuncijs, literisq; ab eodem acceptis, facilè ſibi perſvaderi ſineret, ut exercitum in Ruſſiæ extrema reducerret. Dedit hoc Cœleſte Numen primis mox optimi Principis auſpicijs, ut vix dum Regem nominatum reformidaret hoſtis, & maximo ſtatim beneficio devincta ac quaſi ab exitij liminibꝰ revocata Reſpub:, eundem ut ſummum â Deo datum ſervatorem veneraretur.

Induciæ. Cùm in hyberna digreſſus eſſet hoſtis, agere cum eo de pace cæperunt primarij quidam viri, quos Respub: ad id deſtinaverat. Sed jam iſtic ſuperbiorem, quàm unquam antehac fuerat, experti ſunt. Quippe quod reducem illum Rutheni paſſim ut liberato-

rem

rem ſuum gratulabundi,& multum ubiq; aſſentantes exceperant, admirari ſe ille & circumſpicere fortunam ſuam cæperat. Undè inſolentisſimè identidem legatis Regijs reſponſavit: & vix longâ horum patientiâ impetrari à ſe paſſus eſt, ut in inducias aliquot menſium conſentiret. His nondum plenè elapſis, præludebatur utrinq; novo bello; hic illic catervis rebellibus Regiorum arma in ſeſe identidem provocantibus. Et eæ quidem non ſemel tum inſignitis cladibus attritæ ſunt: rem hinc fortiter gerentibus Andrea Firlejo Belzenſi, tum Stanislao Lanckoronio, Camenecenſi, Caſtellanis; inter quos tum belli regimen diviſerat judicium Regium. Egregia ab utroq; virtutis ſpecimina edita, ſed inprimis celebrari merentur, quæ ab illo ad Zvehalum, Korecij fortisſi-

Bellum redintegratur.

tisſimi Ducis,& Chriſtophori Przyiemſcij Tribuni, bellis etiam externis exercitatisſimi operâ; ab hoc, ductu ferè proprio, apud Oſtropolin, Barum, alibiq; geſta ſunt: ubi non tantum oppida hæc capta, ſed multa Coſacorum millia cæſa & ingens præda reportata eſt. Poſteaquam verna tempeſtas neceſſarium magnis exercitibus pabulum reddiderat, præſtolatus eam hactenus hoſtis evocat mox denuò auxiliares Tartarorum alas, quas præmultas (ad centum ſcilicet amplius hominum millia) ubi acceperat, denuò in Polonicum exercitum vi immensâ progreditur. Hic verò propè fines, quos egredi induciarum legibus vetabatur, hactenus circumductus, caſtra aliquoties, prout res exigere videretur, mutaverat: & diu inter Ductores ipſos

diſceptatum eſt, quo loco expectandus hoſtis eſſet. Erant qui Cameneciam præferrent, cui unico adverſus Orientis minas propugnaculo ſollicitè inprimis proſpiciendum cenſebant. Firlejus exercitum adeò longè abduci noluit, ne præſidio omni orba & veluti nuda hoſtili libidini exponeretur patria; & ut hæc viciſſim ipſum etiam exercitum, in propinquo poſitum, tantò maturioribus fulcire ſubſidijs poſſet.

Firlejus ad Zbaraſiū caſtra firmat.

Ejus itaq; Ducis conſilio ad Zbaraſium, vetus Viſniovecioꝛum Ducum hæredium, conſedit exercitus, virtute equidem quàm numero melior. Neq; enim niſi novem millibus hominum conſtitit: connumeratis etiam ijs copijs, quas proceres nonnulli, opibus privatis in publicum liberales, & ſimul cum opibus vitam patriæ ſuam offerentes, adduxerant. Quip-

Quippè eadem hæc caſtra præter Lanskoronium & Nicolaum Oſtrorogium Regni Pocillatorem, collegas Firlejo additos, ingreſſi ſunt Jeremias Michael Viſniovecius unà cum altero ejusdem ſangvinis Duce Demetrio, Alexander Koniecpolſci⁹ Regni vexillifer, magni illius Stanislai Coniecpolſcij filius, Adamus Sieniavius, Hyacinthus Rozrarzevius & alij quos hìc longum ſit memorare, ſed memorabit hiſtoria plenior, & omnis perpetuò venerabitur poſteritas. Omnes iſti Firlejo, ætate in bellis contritâ cæteris omnibus venerabili, manu conſilioq; adjutores, & ut laborum periculorumq;, ita gloriæ poſteà ſocij fuêre. Cæterùm quia providus futuri & hoſtilium conſiliorum non inſcius Firlejus caſtra ſua ab hoſte, immenſæ ſcilicet copiarū

multitudini præſidente, circumventum iri facilè præſentiebat; maturè & de annonâ ſibi ſuisq; proſpexit, & tum oppidi atq; arcis vetera munimenta refici firmariq; curavit, tum ante oppidum poſita ſtativa ſua, latè circumductis validisſimis vallis operibusq; ſuccinxit, eâ etiam inprimis circumſpectione, ut opera aquis adſtagnantibus tegumento eſſent, ne hæ ab hoſte eripi exercitui Polono poſſent.

Obſidionis Zbaraſianæ initium. Vix dum, imò nec dum etiam ſatis permunita caſtra erant, cum Coſacorum & Tartarorum exercitus ijs circumfunditur: ingens ſanè & quo dubito, an poſt Hunnorum aut Tamerlanis ſeculum ulla ætas viderit majorem. Et huic præterea, quod nunquam ante hoc bello factum, ipſe Tauricæ princeps Chanus aderat; ingens virtu-

virtutis incitamentum ſuis, & amplâ ſpe atq; apertisſimo quaſi hiatu in prædam ſibi Poloniæ hoc Regnum deſpondens. Iſtis enim planè invitamentis & Chmelnicius hominem, ſocietatem ipſius ac fœdus implorans, & ipſe barbarus ſe ad bellum acuebat. Hanc equidem exiguam Polonorum manum, ut facillimo circumdederant negotio, ita uno pedatu quaſi proterere ac debellare ſperaverant. Unde Chmelnicius, ſimul ut copias ſuas caſtris noſtris admoverat, non morâ vel fame fatigare & ad extrema compellere, ſed expugnare & vi capere inſtituit. Tanto majorem ſui terrorem, & cætera faciliora ſibi daturum ſe ratus ipſâ ſucceſſuum famâ. Ac tam vaſta ipſi militantium multitudo erat, ut parvo diſpendio ſuo, plurimos hominum, in

oppugnationem caſtrorum prodigere poſſe videretur. Erat decima tertia Julij, cum caſtra aggredi & ingente impetu ac furore invadere Chmelnicius cæpit. Ipſe alicubi prævius ducebat ſuos, alibi Ductores cæteri, voce, manu,gladio agebant plebem. Quanquam & ipſa hæc tum adhuc virtutem Polonorum minus experta, ſuiq; adeò periculi parùm intelligens, propriâ etiam ſponte in obſeſſos non ibat, ſed ruebat. Peribant ubiq; plurimi; nihil id tamen morati cæteri inſiſtebant operi; gravisſimè inprimis in Firlejanam ſtationem, utpote cæteris eminentiorem,& diſcrimini maximè patentem incubantes. Et hanc quidem per ſubjectam colliculo vallem furtim ſuggresſi, vallum jam ipſum tentare ac conſcendere cæperant: ægrè vix demùm à Fir-

Primi aſſultûs.

à Firlejo ſuos fortiter animante, & quà opus videbatur, contrà ducente, rejecti. Etiam Viſniovecij Principis egregia tum non fortitudo tantùm in pugnando, ſed & prudentia ac dexteritas in milite erigendo emicuit. Nam cum alicubi langveſcere hunc videret, ſigno per tubicinem dato, interdici publicè juſsit, ne in Tartaros jacularentur ſclopetarij. Hos enim miſsis internuncijs pacem & amicitiam Polonis offerre. Eo artificio (quod in arenâ, ſed profectò ex re inciderat Duci, nam totum id fictum erat) excitati milites tanto acriùs in Coſacos inſurrexêre: & adeò quidem tum in Regiis recaluit anim⁹, ut ê Caſtris etiam proruentes, cæſis Coſacorum plurimis, cæteris in admirationem audaciç ſuç verſis, ejus diei oppugnationem, atrociſsimam ſanè & ſepten-

Viſniovecij Virtus & ſtratagema.

Digitized by Google

ſeptendecim aſſultibus extrema omnia obſeſſis minatam, glorioſo ſibi fine terminarent. Non deſtitêre tamen hoſtes ſequentibus etiam diebus infeſtare caſtra, violentiæ armorum aſtum etiam ſubinde addentes. Nec enim tantum tempora quieti dari ſolita ad impreſſiones ejusmodi captabant; ſed & terrorem Regijs, ementito Turcarum habitu incutere, nitebantur. Quippe ut nova â Turcâ ipſo auxilia ipſis adeſſe crederet Polonus, tentoria Turcica latè expandêre. Manipulos porrò ſtramineos tiaris (ſveta hæc apud Turcas tegumenta capitis ſunt) intectos, equis impoſuerant; quos ita inſtratos Coſacus Turcico pariter veſtitu indutus regebat, miro ſanè, ſed Polonis, qui, quid rei eſſet, conſpicillis adhibitis perſpexerant, innoxio dolo. Etiam literas ad

Dolus Coſacorum.

ob-

Digitized by Google

obſeſſos mittebat Chmelnicius, quarum alijs Firlejum ad amicam compoſitionem; alijs Germanos milites ad proditionem ſolicitabat. Cum nihil incurſibus continuis, nihil artibus efficeret, cuniculis actis ſubire vallum, & caſtra ipſa ſubruere aggreſſus eſt. Dies noctesq; induſtria agreſtium ducendis occultis meatibus, & mirâ arte militem ſuum tegentibus mæandris incumbebat. Et brevi tempore adeò propè ad vallum acceſſerunt; ut cum præſidiario milite ſermonem ſociare poſſent. Ac ſubinde; inprimis de nocte, audiebantur agreſtium iſtorum voces: nonnullorum, laboribus ſuis ingemiſcentium, querulæ; aliorum maledicæ & minaces Polonis. Hos verò, externis hoſtis molitionibus minùs hacten⁹ territos, occulta iſta machinamenta, quibus ſo-

Cuniculi.

 lum

lum ſibi ſubtraheretur, non parùm habuere ſollicitos. Et non multò poſt deſerto illo exteriore vallo, intra aliud interius, quod in caſum interim eduxerant, recepêre ſe. Fuerunt etiam poſteà, qui deſertis omnibus externis munitionibus, in urbem retrahendum, quicquid exercitûs ſupereſſet, ſvaderent. Sed id conſilium alijs probatum, alijs omnimodè diſplicuit. Et eâ occaſione paulò poſt non exiguæ in caſtris turbę ortę ſunt, adeò ut in multas ſiniſtras voces prorumperetur: quibus, *Diſſenſiones.* ne & Viſniovecius ipſe cum Firlejo committeretur, metui cæptum eſt. Sed is ſenem militari laude & magnis de Republ: meritis pręſignem eximio ſemper honore proſecutus, favore, quo apud cęteros valebat, ad ſtabiliendam illius autoritatem utebatur. Subinde & pro-

Digitized by Google

& proſperrimis eruptionibus moleſtus & formidabilis hoſti erat. Sed ille in tantâ copiarum multitudine, non ſentiebat, quicquid etiam acciperet, damni. Ipſe etiam contrà aſſultationibus non ceſſabat vexare obſeſſos. Quos tandem ſuper continua ab hoſte pericula, interna inprimis mala, victûs prǽſertim inopia, multùm affligebat. Nam jam pridem equi, pabuli penuriâ emoriebantur, & fǽtore inficiebant caſtra univerſa. Buccella panis denis ſeſtertijs, dolium hordeaci quinquaginta florenis emebatur. Tandem & militi gregario, nihil penè, quod comederet, ſuppetebat, præter equinam, & poſtremò canes mactabantur in cibum, ac ſi qui ex his cadaveribus equorum ſe ſaginaverant, inter ſummas delicias habebantur. Neq; latebat

Fames in exercitu obſeſſo.

Digitized by Google

hoc hoſtem, cum ſubinde aliqui ex iſtis obſidij anguſtijs ad ipſum profugerent. Tantoq́; hinc inſolentior duriorq́; erat, ſi quando vel ipſe invitaret obſeſſos ad conditiones accipiendas, vel ab his invitaretur. Paulò benigniorem ſe Chanus oſtendit, ſed & ipſe nonniſi Viſniovecium & Coniecpolſcium negociari ſecum cupiebat, quos cum tanto periculo exponere ſui nollent, eò magis barbarus iſtâ quaſi diffidentiâ offenſus eſt. Agreſtes quoq́; ipſi in brevi, quod durante illo colloquio dabatur, armorum interſtitio Heros ſuos, qui in caſtris aderant, affabantur, miſerationem præferentes, & in Coſacorum erga vulgus ruſticum, truculentiam multa jacientes obliqua. Sed ij mox, cum fruſtra compoſitionis conſilia agitata aliquandiu eſſent, ad iterandos aſ-
ſultus

ſultus avertebantur. Ab alijs etiam interim ſuggeſtûs ſtupendi operis erigebantur, unde pronisſimus in caſtra noſtra deſpectus tanto certiores ictus obſesſis, & in plures terrorem, dabat. Propè non mirum fuerat, ſi qui iſtorum elanguiſſent, cum inter continua diſcrimina, ſine interſpirio verſantibus propiùs ſubinde, & alijs atq; alijs modis ingrueret hoſtis, nulla verò vel via elabendi ullâ virtute aperiretur, vel ſpes auxilij è Poloniâ adſpiraret. Scribebantur identidem ad Regem literæ afflictisſimam obſeſſorum fortunam nunciantes. Sed penè omnes unà cum latoribus interceptæ ſunt. Nec à Rege ullæ perferebantur: arctâ adeò indagine obſesſis itineribus; nihil ferè ut inſcio hoſte tranſire poſſet. Fingebantur tamen ſubinde à Ducibus literæ,

Literæ intercipiuntur.

Aſtus Ducum.

ræ, quę tanquam â Rege profectæ properum auxilium miſeris promitterent. Ijsq; ne fides abeſſet, ſigillum ex literis Regijs, ſed olim ſcriptis, ablatum affigebatur. Tali arte animum identidem militis refocillabant Duces. Qui & famelicis, quibus poterant, ſuccurrebant: aliis fœdas putidasq; beſtiarum carnes blandæ vocis condimento, propè & exemplo, jucundas efficere ſatagebant. Certè Firleius, quanquam ſenio & morbis invalidus, iam ſemel iisdem his dapibus manus admoverat, ori & ſtomacho, niſi proximi attinuiſſent, ingeſturus: ideò tantùm, ut eò minus cibum miles faſtidiret, quem dux ipſe non aſpernaretur. A Viſniovecio autem, Coniecpolſcio vexillifero, aliisq;, iterabantur ſubindè eruptiones, ut iſtius veluti carceris tædium tali

Excurſiones.

Digitized by Google

tali excurſu diſcuterent; tùm quò hoſtis cerneret, ad inhoneſtas conditiones adigi non poſſe, qui mortis periculis ſe identidem obiectarent. Porrò eò jam paulatim deveniebatur, ut nonniſi manu & cominùs pugnandum ſibi cum hoſte obſeſſi viderent. Nam pulveris pyrii inſtabat penuria, adeò ut idcircò exploſiones tormentorum hactenùs frequentatæ jam ceſſarent: Coſaci verò non iaculationibus tantùm atq; incurſibus urgebant obſeſſos, ſed & cuniculis iterùm ſubterraneis oppidum ipſum ſuggredi nitebantur. Alibi porrò aquam, quę obſeſſis ad alimentum neceſſaria, latere etiam uno adversùs hoſtem tegumento erat, eripere tentabant. Et iam ſemel aliqui, nocte appetente, lembo ſtagnum travecti, aggerem moliebantur, & potiti eſſent

Coſaci varia tētant.

Digitized by Google

eſſent voto, niſi Firleji famulus ab hero in oppidum miſſus, cum deprehenſos in aggere hoſtes ægrè ipſe effugiſſet, primò excubitores, mox & cæteros de periculo monuiſſet. Cùm in aquâ adimendâ fruſtrà laboraſſet hoſtis, ignem oppido injicere inſtituit, inprimis portæ uni, quæ altiùs educta Coſacis multum nocebat. Namq; in eâ latebant fiſtulatores, & inprimis Butlerus equeſtris Centurio, qui jaculandi peritisſimus plurimos inde necabat. Quod idem ex aliâ arcis portâ Muchavecius de ſocietate Jeſu dandis pariter ê fiſtulâ ictibus minimè errans, identidem factitabat, adeò ut ad ducentos Coſacos ſuſtuliſſe ita feratur. Cæterum ibant jam Coſaci faſcibus ſtramineis inſtructi, ad portam, à quâ ſuccenſâ, ignis in reliqua facilè tranſiturus

turus

Digitized by Google

turus videbatur. Sed creberrimis obſeſſorum jactibus intercepti, partim fugâ, partim animâ effusâ nefarium conſilium omiſere. Dum hæc ita agerentur, bono quodam fato in caſtra obſeſſorum delapſa ſagitta ſchedam attulit: In eâ ſcriptor (nam quis ille fuerit, incertum eſt, Equitem quidem Polonum ipſe ſe nominat) id primùm excuſat, quod in caſtris Coſacorũ mereatur: oppreſſione nempe potentiorum, & poſteà inclinatâ Polonorum fortunâ eò ſe actum; animo tamen Polonis ſuis usq; addictum manere. Cui rei teſtandæ jam tertiùm ſe, miſſis tali ratione literis, quę ex uſu eſſe judicaverit, monuiſſe obſeſſos. Nunc autem ſcire ſe ipſos velle, adeſſe Regem & jam Zborovium uſq; progreſſum, properè obſeſſis ſuppetias latu-

 rum.

rum. Gnarum id eſſe Coſacis, tantoq; adeò enixius expugnationi incubituros. Sed & Polonis eò majore conſtantiâ ac virtute contra nitendum, quò propior ſpes asſit liberationis. Quisquis fuit, qui ſchedulam iſtam exaravit, fidem quidem non apud omnes repperit, quippe multoties jam à Ducibus deluſos, ſed meruerat is fidem, quam minimè profectò fefellit. *Rex in ſubſidium venit obſeſſis.* Quippe Rex, jam dudum quidem afflicto exercitui ſuccurrere molitus, poſtquam remoras, quæ properantem hactenus retinuerant, eluctatus erat, feſtinatis tandem, quantum poterat, itineribus hoc ipſo tempore, quintâ nempe poſt cæptam Zbaraſij obſidionem hebdomadâ, Zborovium (oppidum Rusſicum eſt) venerat. Haud eo tamen exercitu inſtructus, qui communi

Digitized by Google

muni modo rem metientium judicio, adeò immenſæ hoſtiū multitudini, non dicam perrumpendæ, ſed utcunq; ſuſtinendæ videretur par futurus. Erant quindecim circiter ſtipendiariorum millia, quibus quinq; ferè alia Proceres; Regi & Reipubl; de ſuo militaturi addiderant. Nam cætera Nobilitas, contra Regis mentem, ſeriori edicti one evocata, tardiùs acceſſerat. Adeò ut propiores tantùm aliquot Palatinatus venerint in hanc arenam. Ubi de adventu Regis intellexerat Chmelnicius & Chanus, partiti exercitum ſunt, & mox, relictis ad Zbaraſium ducentis propè millibus Côſacorum Ruſſicæq; plebis, Tartarorum verò millibus quadraginta; cum reliquo milite adverſus Regem venientem junctim ivêre. Ducebat Chanus ſexaginta am-

Regi obviam tendit hoſtis.

plius millia Tartarorum; octoginta plus minus millia Coſacorum Chmelnicius. Et ambobus adeò bellè ſeu aſtutia ſua, ſeu fortuna ancillata eſt, ut propè â caſtris Regijs inobſervati conſtiterint. Adeò nihil de ijs miſſi ſpeculatores ſubolfacere aut referre quivêre: Seu quod minimè quicquam de hoſte tam propinquo ſuſpicati, remiſerant induſtriam, ſeu, quod vero ſimilius, quia hanc ipſam, quantumcunq; ſedulam, obviorum agreſtium maleſidæ narrationes fefellêre. Iſti enim, Rutheni omnes, & Coſacis, ſi non alijs, ſaltem religionis autoramentis obnoxij, Polonis, quà poſſent, os ſublinere non negligebant. His quidem conſcijs & adjutantibus Zborovium oppidum clam ingreſſus Chmelnicius exercitum Regium in propinquo ſtantem luſtraſſe

&exin

Digitized by Google

& exin conſilia temperaſſe ſua fertur. Quicquid ſit, cum multis milliaribus abeſſe crederetur hoſtis, improviſus adſtitit caſtris. Commodùm quoq; illi in latebram quercetum obtigerat, ê quo, inexſpectato impetu, procellæ cujusdam inſtar, effundebatur. Etiam nebula illum juvit, quæ poſt ſereniſſimam auroram coorta, diu veluti diem auferebat, & deniq; in moleſtiſſimam pluviam ſolvebatur. Quâ adeò viæ, jam ante ſoli illius genio, & tum præter ſolitum etiam cænoſæ, magis ita permaduêre. Inprimis vero limoſus altoq; cæno tenax agger, & pontes præterea duo difficiliorem exercitui ac præcipuè impedimentis tranſitum faciebant. Inter has anguſtias, ubi pars exercitûs cum apparatu militari aggeres trajeciſſet, pars citra adhuc conſiſteret, *Nebula.*

 ſteret,

Digitized by Google

ſteret, caſtraq; adeò nulla dum formata eſſent, hoſtis, accepto ab oppidanis perduellibus, æris, quaſi ad rem ſacram pulſati, ſigno, ê latebris ſuis exſultans, in noſtros nihil tale metuentes, & in eundem demum campum ex illâ uligine evadere laborantes, irruit. Primò autem in quoſdam Regiorum currus incidit, quos neſcio quis error à viâ rectâ & à reliquo adeò exercitu abduxerat. Quibus præviæ cohortes quędam ſe tueri contra prævalidam multitudinem haud potuêre: curribus tamen ab alio properè allapſo milite ſubventum eſt. Mox à tergo Regios laceſſere cæpit Tartarus, aquarum alveum, quem perfidi agreſtes, aggeribus infra dirutis, vadoſum reddiderant, ſubitò transgreſſus. Hîc primum ejus impetum Premislienſis Nobili-

Tumultuariæ irruptiones.

bilitas & Dominici Zaslaviæ Oſtrogiæq; Ducis equeſtres copiæ, ducente Coricio, excepêre: paulò enim lentiùs reliquos inſecutę erant. Ac aliquandiu equidem magnæ illi numero longè prævalentium moli obniſi Premislienſes, plurimos ſuorū, at ijdem impares deniq; , etiam impedimenta ſua amiſerunt. Coricio Caſtellanus Sendomirienſis Stanislaꝰ Wituskj, & Leo Caſimirus Sapieha Lithvaniæ Procancellarius ſubvenêre; tam feliciter, ut tum quidem pedem referre cogeretur hoſtis. Sed mox idem reverſus, majore impetu in Sapiehæ Procancellarij copias incubuit. Quę ſeptem turmarum cum eſſent, (nam reliquas ſuo quidem ære autoratas, non hîc ſecum, ſed aliâ aciei parte locatas habebat) ſex horis integris, conflictu triplice, contra hoſtem

ſe tu-

ſe tutatæ, tandem plurimis cæſis (inter quos, ſed primo mox congreſſu Felicianus Tyskevicius pulcherrimè pugnans ceciderat) ſuccubiturę videbantur: niſi Caſtellanus Sendomirienſis & Baldvin⁹ Oſſolinſcius Stobnicenſis Pręfectus in ſe hoſtem avertiſſent: non ſine ingente pugnantium utrinq; clade: Regiorum tamen vel ideò majore, quòd alter Ductorum Oſſolinſcius egregium familię ſuę decus ſangvinem vitamq; illic profudit. Non procul inde in Nobilitate, quę ê Palatinatu Rusſię aderat, & mox alibi circa currus multam ſtragem, etſi non impunè, edidêre Scythę: adeò feroces, ut in ipſa ferè caſtra impetu inveherentur. A quibus dum arcere illum juxta cum alijs connititur Georgius Rzeczicius Pręfectus Urzędovienſis, inſignis Pa-

Patriæ civis, Scythico acinace truncatus occubuit.

Dum hæc in aversâ parte caſtrorum aut ad latera aguntur, majori interim mole rebelles, Tartaris comitati, in Regem ivêre. Qui ſubitò aciem quoq; ſuā contra inſtruxerat, ita ut Georgius Oſſolinſcius Magnus Regni Cancellarius duceret dextrum latus, in quo Aulicæ Regis, Stanislai Potocij Palatini Podoliæ, ſenis hoc omni in Coſacos bello de Republ: optimè meriti, Palatinatûs Belzenſis, tum & Dönhofij prçfecti Sokalenſis, aliorumq; cohortes ac turmç equeſtres erant. Alam verò ſiniſtrā præcipuè Georg: Lubomierſci⁹ Prçfectus Cracovienſis & Dux Corecius regebant, cui Puzovi⁹ honorariarum aliquot cohortium ductor, alijq; Tribuni, cum cohortibus quiq; ſuis, adjuncti. Me-

H diç

diȩ aciei robur in Rege inprimis & pedeſtri milite conſiſtebat. Cui poſt Regem ſemper præſentem, & quȩ uſus poſceret, jubentem Hubaldus germanicas aliquot legiones & Volfius Prætoriam ducens, præerant. Huc itidem acceſſerant ſubſidiariæ cohortes: ſexcenti inprimis pedites, quos Sapieha Lithvaniæ Procancellarius ſuo ære in Reipubl: uſum conduxerat, & eodem porrò, dum res poſceret, alebat. Ac primum quidem Tartari vario excurſu atq; expanſis latè alis, quaſi adverſam tantum aciem ſpecularentur, ſuggreſſi, mox confertisſimis agminibus dextro ſe lateri, ſed irrito conatu injecêre. Cumq; inde, ut levis ea gens eſt, circumacti â pedeſtri inſuper acie denſisſimo pilarum nimbo excepti eſſent, hâc dein ſummo ſtudio evitatâ, gravius

Conflict9 ad Zborovıam.

vius

Digitized by Google

vius mox in ſiniſtrum latus Regiorum incubuerunt. Ubi Dux Corecenſis, in primâ ſtatione poſitus, omni equidem fortis viri officio ſtrenuè defunctꝰ, multitudine tamen obrutꝰ ægrè exitium evaſit, equo, quo vehebatur, adeò graviter ſauciato, ut tantùm non procumberet, antequam vectorem ad ſuos pertuliſſet. Et Puzovius tramiſsâ per utramq; genam ſagittâ ſaucius, ipsâq; eâ, quâ acceperat, parte telum ferens, ad Regem advolat, opem laborantibus ſuis poſcens. Tum verò Rex faſtigij ſui propè oblitus, & vitæ ferè prodigus, ad primos ordines procurrit, & quà gladio, quà voce ſuos in hoſtem impellit, patriæ amorem, majorum decora ingeminans, & ſe ſimul ad omnis fortunæ, atq; etiam mortis conſortium animosè offerens. Ad eum

modum virtute Regiâ in hoſtem reducti ſuppetijsq; etiam firmati, ambiguo aliquandiu marte, mox deinde iterū inique certârunt. Denuò itaq; Rex accurrere, cedentibus manum injicere, Ductorum abſentiam querentibus, ſe Ducem offerre. Et jam ibat in denſiſſimam prẹlij tempeſtatem contemptor ſui Princeps; ægerrimè demum à ſuis, præcipuè Caſimiro TyskevicioPocillatore Lithvaniẹ, qui capite ab iſto omnem belli hujus fortunam dependere ſubmonebant, retentus. Auctus eſt omnibus, exemplo tanti Regis, animus, ut fortius pugnarent, alijs ut impetum hoſtilem, quantumvis acerrimum, loco ſuo non moti exciperent. Eodem accurante ſubmiſſa laborantibus auxilia, ut quà labaſcere cẹpiſſet acies, reſtauraretur; &vis hoſtilis retuſo impetûs

tûs ſui quaſi aculeo tandem frigeſceret. Perruperant alicubi equitatum Scythę, cedentiq; illi inſtabant ferociter: ſed â turmâ Regiorum equitum, tum â majoribus machinis, duabus deniq; ſclopetariorum cohortibus, quas tum Giza, ex præcipuis Prætorię legionis Centurionibus unus ducebat, duriter accepti remisêre animos: ſic ut deniq; nullum ſummo conatu dignum pretium ferentes, & victis quàm victoribus ſimiliores campo tunc excederent.

Diem tam atrocem nox excepit; magis ab hoſte, quàm à belli meditationibus libera. Nam quod in futurum diem ſimilis pugnandi necesſitas impendère videbatur; ſingula, Regio juſſu, prout res exigeret, ſolicitè ordinabantur. Dum autem ſuper ſummâ rei cum Proceribus deliberat Rex,

id animadvertentes alij quidam & quæ ignorarent, in pejus rapientes, ſuſpicari cæpêre de fugâ conſilium iniri. Ac confeſtim unius vel alterius ſequiore judicio ſparſus in plures rumor eſt, Regem aut abijſſe, aut abiturum, cumq; eo præcipuos Procerum, veritos ſcilicet obſidionem, cujus inſtet periculum. Jamq́, parùm aberat, quin ſimilis Pilavecianæ conſternatio occuparet militem. Id ubi Rex, qui ad reficiendum corpus interim paululùm ſeceſſerat, intellexiſſet, abruptâ illicò quiete, intempeſtâ nocte, prælucentibus funalibus, caſtra equo conſcenſo obijt: præſentem ſe obvijs oſtendens memoransq́;; neq; fugiendi, ſed pugnandi ſibi animum, & boni ſucceſsûs amplam ſpem adeſſe ingeminans. Mox & legum militarium acies in eos, quos pri-

prima trepidatio abduxerat, ſtricta eſt. Cæterùm inter conſilia ante habita, id plerisq; & inprimis Magno Cancellario placuit, ut ratio ineatur, quomodo abſtrahi à Coſacis Tartari poſſent. *Levem eam gentem, & nullâ injuriâ à Polonis nunc læſam, ſi antiqua ijs beneficia oſtententur, non difficulter forſan à ruſticæ & Dominis ſuis perfidæ turbæ ſocietate diſceſſuram.* Ac ſine morâ miſſus ex captivis Scythis unus cum literis, quarum hęc erat ſententia: *Memorem haud dubiè eſſe Chanum beneficiorum, quæ à Vladiſlao Rege nuper defuncto acceperit. Cùm captus in Poloniâ olim, non benignè tantum habitus, ſed tandem etiam libertate donatus, Regiæ gratiæ imperium, cui nunc præſit, debeat. Eo magis mirum, tantorum ipſum meritorum conſcium, rebellibus Poloniæ ſervis arma ſociaſſe. Sed minimè illi iniquam hanc conſpirationem emolumento fore. Nec enim Dei favorem conatibus ejusmodi adfuturum. Interim viſum fuiſſe Regi, fratris ſui beneficia in mentem revocare immemori, & amicitiam, ſi Regium fœdus, quàm ſervile malit, offerre.* Poſterò die unà cum luce eędem Scytharum copię, & alibi Coſacorum univerſus exercitus com-

Tartarū à Coſacis abſtrahere nititur Rex.

Pugnatur iterum. comparuêre. Et horum quidem vis prima in oppidum ipſum converſa eſt; aliâ parte Tartari impedimentis manum injecerant. Sed Coſacos quadringenti primũ deſultorii equites per horas aliquot,& deinde in auxilium ſubmiſſi alij, ductoribus prævijs, non repulêre tantum, ſed & longè extra oppidum proſecuti ſunt. Pariter & Tartaris abigendis lixę, qui curribus adeſſe aſveti; nunc arma corripuerant, ſuffecêre. Sed poſteà hoſtis, diviſo trifariam exercitu Caſtra ipſa Regis oppugnare aggreſſus eſt, occupato inprimis, quod caſtris Regijs imminebat, Templo Ruthenico. Vnde his plurimùm noxæ inferebat: amotisq́, alicubi per tormentaria fulmina propugnatoribus, in caſtra ipſa jam nitebatur. Repertus eſt unus, qui in vallum

Digitized by Google

vallum caſtrorum eluctatus, hoſtile in eo ſignum attollere auderet, temeritatis tamen ſuæ mox præmium, lethali globi ictu, adeptus. Concurſu hinc porrò Regiorum facto majore, adeò acriter propulſatus eſt hoſtis, ut non tantùm oppugnationem,ſed & pugnam deſereret. Et inſecuta illum Caſtrenſis famulitij turba multa millia iſtic occîdit. Nec minor aliorum, ejusdem ſortis, cum in oppidum procurriſſent, virtus eluxit; quibus cum porrò Liſecius, de Societate Ieſu presbyter tū Martios pro patriâ labores haud refugiens,extra oppidū progreſſ⁹ mox nobilis & hoſti multùm funeſtæ pugnæ victoriæq; Dux atq; autor exiſtit: ſed cui tamen ipſe novem ſaucius vulneribus immortuus eſt. Cum pari felicitate etiam alibi rem egiſſet gregaria iſta

Caſtrenſis famulitij turba; propè ſedit conſilium, equis inter illos diſtributis, autoratæ militiæ eos adjungere, & ſic, aucto exercitu, juſti prælij fortunam experiri. Sed alijs, quibus cauta magis cum ſecuritate, quàm felicia cum periculo conſilia placerent, haud tutum videbatur, exercitum, uti animoſum quidem, ita magnitudine hoſtili minimè comparandum, dare in caſum. Facilè enim fieri poſſe, ut & ipſe hic, qui alteri Zbaraſiano liberando veniſſet, ſemel campum minus felicem expertus, à tam immensâ multitudine pariter circumſideretur. Sed effecit cæleſtis providentia, ne ullo jam prælio vel excurſu eſſet opus. Etenim Chanus proclivem ſibi ante expugnationem Regiorum pollicitus, ubi tanto ſangvine ſibi rem conſtare, & jam â pericu-
lis

lis ipſis fidentiores Polonos in hoſtem ſubinde erumpere, magnasq; dare ſtrages vidiſſet: ad literas Regias comiter & cum multâ benevolentiæ ſignificatione reſpondendum ſibi duxit: *Fateri ſe, ajebat, Regiæ in ſe Domûs beneficia: & ſi maturè à Rege recens inaugurato foret compellatus, ejus ſanè benevolentiam, quàm rem Coſacorum potiorem ſibi futuram fuiſſe. At ſilentio ſe ac incuriâ tramiſſum, imò vix hominum numero habitum eſſe hactenus, cùm jam ſatis appareat, ſuæ quoq; amicitiæ aliquem uſum eſſe. Cæterum veniſſe ſe hyemandi quidem animo in has terras, quia tamen ineundæ cum Rege præſente amicitiæ occaſio offeratur, ei ſe non defuturum. Ac ſi ſibi ex vetere fæderum formula à Polonis ſatisfiat, poſiturum ſe arma, atq; ab ijsdem ut Coſaci etiam diſcedant, effecturum. Mitteret Rex Cancellarium ſuum & locum colloquio deputaret, eò ſuum quoq; Vezirum firmandi fæderis causâ venturum.* Aderat ſimul à Chmelnicio epiſtola, modeſta admodum & ut reſipiſcentiæ index, ſic hominis in Regem fidem & obſequium inpoſterùm largiter promitttens.

Chanus ad pacem inclinat.

Reſpondit Chano Rex, adfuturum, quemadmodum poſceretur, Cancella-

rium. Sed venire occupavit Vezirus Crimēſis, ad quem cum medio inter utraq; caſtra loco proceſſiſſet Cancellarius, ſalutatione præmiſsâ, Tartarus Domini ſui nomine petijt, *ut ſtipendium militare, antiquitus à Polonâ Republ: Chano in præmium operæ, quam dare Reipubl: teneantur, dari ſolitum, ſed à Vladislao Rege denegatum, perſolvatur. Ut porrò Zaporoviorum poſtulatis ſatisfiat: & ut turmis Tartaricis domum nunc reverſuris, quà vellent, excurrendi & ſic expeditionis hujus, fuſiq; ſangvinis ſuorum fructum quærendi poteſtas ſit.* Cum ampliandum ſuper his poſtulatis & Regem conſulendum diceret Oſſolinius, digreſſus uterq; ad ſuos eſt: Vezirus verò & Coſacis & Tartaris edicendum curavit, ut ab omni hoſtili opere ceſſaretur. Non ubiq; obtemperatum eſt; & ubi obtemperabatur, nihilominus Regij advigilabant curâ intentiſſimâ, ne quà ſibi, ſpecie amicitiæ, à Barbaris illis imponeretur. Poſtero die (erat autem deci-

decima ſeptima Auguſti) prodiêre iterum in campum tranſactionis patratores, terni ex parte Polonorum, terni ex alterâ. Illi erant: Palatinus Kioviensis Kiſielus, Georgius Oſſolinius Cancellarius, & Leo Caſimirus Sapieha M. D. Lith: Procancellarius. Hi: Vezirus, Sieferkazius, Sulimazius Aga. Quibus deinde Chmelnicius quoq; acceſſit, amniſtiam factorum petens, & ut Coſacorum, tum & Religionis Græcæ libertati conſulatur. Cùm aliquandiu inter ſe partes diſceptaſſent, tandem intra vigeſimam quartam, â primo compoſitionis hujus initio, horam, in hæc capita conventum eſt:

Ab hoc tempore inter Regem Ioannem Caſimirum ejusq; Succeſſores Reges Poloniæ, & Islan Gierejum Chanum Tartarorum, ejusq; familiam Gierejam amicitia & fraternitas in perpetuum eſto. Conditiones pacis Zborovianæ.

Rex Poloniæ ex liberalitate ordinarium ſtipendium Chano Tartarorum retentum hactenus pendito, & inpoſterum, ubi id per Legatos Cameneciam miſſos petet, dato.

Chanus Tartarorum viciſſim adeſſe Regi, quandocunq; hic juſſerit, cum omnibus copijs ſuis contra quemvis hoſtem tenetor.

Nulli Tartaro hoſtili animo fines Regni ingredi aut prædas agere fas eſto: & Chanus ab omni invaſione Tartaricâ indemnes Poloniæ ditiones præſtato.

Ab obſidione Caſtrorum Zbaraſienſium confeſtim & Tartari & Coſaci diſcedunto; & exercitum illum, quocunq; Rex juſſerit, tranſeuntem ne infeſtanto.

Tartarus omnes exercitus & quicquid Turcarum Rumelienſium adeſt, ſine morâ ex ditionibus Regni educito.

Rex Poloniæ in gratiam Chani, Chmelnicium & univerſum exercitum Coſacorum Zaporoviorum, veniam facinorum ſuorum precantem, â crimine abſolvito: & fidem ſuam jurejurando Regi & Reipubl: coram Senatoribus obſtringentem in gratiam recipito: eundem denięq; exercitum numero, libertate, more antiquo componi curato.

Stabilitâ ita pace juſſus eſt Chmelnicius ſacramento coram Senatoribus ſe Reipubl: obligare, & porrò mittere ad Regem nuncios, qui exercitûs totius nomine veniam orarent. Quod cùm factum eſſet, conditionibus etiam, quas impetrarant Coſaci, Rex ſubſcripſit. Deniq; Chmelnicius ipſe in tentorium Regis perductus, provoluto in terram

&ad

& ad ipſosmet pedes Regios corpore, lachrymans patratorum veniam oravit; multis verbis conteſtatus, maluiſſe ſe *egregiæ Regi Regnoq; præſtitæ operæ conſcium, quàm tanto ſangvine effuſo erubeſcentem venire in conſpectum Regiæ Majeſtatis. Sed quia aliter fatis viſum, jam clementiam, quam meritis ſuis minimè deberi fateatur, ſe ſupplicem & facinorum ſuorum pœnitentem precari.* Reſponſum ei à Lithvaniæ Procancellario: *Regem pœnitentiam ſubditorum ſuorum quàm pœnam malle. Quæ hactenus pecaſſet Chmelnicius, remittere: ſed eâ lege, ut conſtante impoſterum fide, & promptâ devotaq; patriæ decori virtute culpam admiſſam compenſet.*

Juſſus deinde Coſacorum exercitum reducere, paruit ſine morâ. Nam & huic, qui ad Zborovum pugnaverat, abire confeſtim, & ut alter exercitus à Zbaraſio obſeſſo diſcederet, mandavit.

Chanus etiam, uti ante jam, datis acceptisq; vicisſim à Rege amicitiæ pignoribus, turmas ab excurſibus revoca-

vocaverat, ita nunc exercitum univerſum reduxit. Poſtridie tandem Rex quoq; caſtra movit, nonniſi tamen Glinianum usq; tùm progreſſus. Unde nuncio demum de liberatis obſidione Zbaraſianis accepto, Leopolin vergente Auguſto perrexit, ad ſolvenda DEO Opt. Max. gratiarum ſolennia: Cujus ſingularem ſcilicet gratiam in ſervato duplice exercitu, Regniq; adeo aſſertâ ſalute eſſet expertus. Etenim quo in diſcrimine fuerint caſtra Regia, ſatis jam ex memoratis patet. Sed profectò Zbaraſiani etiam ad extrema redacti, non jam ſpe prope ullâ ſalutis, ſed ſolo potius deſperationis ardore ſe hucusq; ſuſtentaverant. Jam etiam cives oppidanos eò tædij mora & fames adduxerat, ut oppidum incendere, aut hoſti prodere cogitarent.

Zbaraſianorum anguſtiæ.

Digitized by Google

rent. Cum id per vigilantiam Polonorum non poſſent, ſaltem ut ex urbe dimitterentur, anxiè orarunt. Et hoc maribus negatum, fœminis verò cum liberis egrediundi poteſtas facta eſt: ſed ita, ut haud quicquam ſecum rerum ſuarum efferrent. Et nihil equidem ab egreſſuris tam ſcitè occuli potuit, ut manus militum, quaternis ſtationibus ſingulas excutientium, effugeret. Atq; ubi oppido exceſſerant, pertingere ad Coſacos, apud quos, ut ſangvinem ſuum, meliore ſe loco fore ſperaverant, non potuêre. Nam â procurrentibus Tartaris omne id agmen, cui & lixæ aliquot profugi ſe adjunxerant, abreptum eſt. Paulo poſt hæc (XXI. Auguſti) Coſaci, Zborovianæ compoſitionis conſcij, inclamare cæperunt obſeſſos, pacem initam *De liberatione nuncij.*

K nun-

nunciantes. Quidam ijs fidem non habebant, alij creditâ pace plurimum angebantur. Etenim quia ſe inſcijs pacta eſſet, ſui non habitam rationem ſuſpicabantur. Et tubicen quidam militibus, proprio auſu tubâ concitis, indicaverat, pacem â Rege initam, ſed ejus fructum non pertinere ad Zbaraſianos. Hos ſuopte Marte ſibi conſulere juſſos. Quam ob cauſam Tubicen ille, in vincula raptus, capitis non effugiſſet ſupplicium, niſi alter Ducum interceſſiſſet. Paulò poſt etiam Chmelnicij ad obſeſſos literæ afferebantur, quibus obſidij ſolutionem promittebat; ſed hâc tamen conditione, ut Chano Tartarico certam pecuniæ ſummam penderent obſeſſi. Reſponſum eſt à Ducibus præcipuis, exercitui tot mala hactenus perpeſſo animum haud

haud eſſe, ad extremum pecuniâ ſe eximere. Abiret Chmelnicius, prout teneatur pactis. Tartari, ſi ita lubeat ipſis, manerent, certi, nullo ſe hinc obulo abituros propenſiores. Tandem à Rege Minor, vetus belli Tribunus, in caſtra venit, epiſtolā libertatis nunciam à Rege & Magno Cancellario ad Firlejū ferens, & hunc ipſum Palatini Sendomirienſis titulo ſalutans. Hunc enim ſenatorium locū non ambienti ſed merentisſimo bellatori Rex interim tribuerat, vacuum ſcilicet poſt Dominicū Zaslaviæ Ducem, qui in locum defuncti Stanislai Lubomierſcij Palatini Cracovienſis, ingentis in Republ: Viri ſucceſſerat. Etiam cæterorum nonnullis aucti ſunt ex publicis bonis proventûs, Viſnovecio Duci præfectura Przemislienſis, Neſſevienſis Oſtrorogio, Lanskoronſcio præ-

ter Stobnicenſem præfecturam Palatini quoq; Braclavienſis dignitas paulò poſt collata eſt. Sed judicio omnium nihil tam amplum dari potuit, quin Virtus fortisſimorum virorum majora meruerit. Digna equidem veneratione etiam poſteritati videbitur conſtantia, quâ parvus hic exercitus incubantem omnem Taurici Principis Rusſięq; potentiam, duobus propè menſibus, inter extremos perpetuarum oppugnationum conatus, inter admota varii generis machinamēta & fabricas, in tantis loci anguſtiis, tantâ commeatûs penuriâ, tot accumulatorum cadaverum fætore, adeò deniq; lubricâ & penè jam emoriente ſpe liberationis, ſuſtinuit tenuavitq;. Pleriq; ex Primoribus ejus exercitûs Leopoli Regem ſalutavêre, effuſo vicisſim gaudio tam illuſtria & tanto pro Republ: periculo

culo defuncta capita excipientem. Ibidem aliis pariter pro benè navatâ operâ gratiæ actæ ſunt. Inprimis etiam Halicienſis terrę Nobilitati, quod ea ductore Ioanne Theodorico Potocio finium ejus terræ arbitro, ſeu Succamerario, fortiter ſe & provinciam ſuam contra Scytharum incurſus defendiſſet.

Verùm provehebat tum fortunam Polonię ſingularis cœli favor; & eodem tempore multis bonis ſucceſſibus prętęritorum malorū acerbitatem ſolabatur. Nam non tantum duos Polonię exercit⁹; ê tam inſtante diſcrimine, quaſi manu arreptâ, exemit: ſed paulo ante Lithvaniam etiam, inſigni ac in omne ævum memorabili victoriâ beârat. Infuderat ſe ab initio ſtatim in eam quoq; provinciam iſta Ruſſicæ rebellionis peſtis; tanto proniore illapſu, quod incolę hujus *Res Lithvanicæ per hoc bellum.*

terrę, earundem cum Rusſis conſvetudinum, ejusdemq́; pleriq́; in ſacris ritûs ſunt. Aliquandiu etiam impuni licentiâ perſultaverāt oras affines Podlesſię, quę Volhinienſis & Kiovienſis Palatinatûs pars, longisſimo ſylvarum tractu vicinæ Lithvaniæ prætenditur. Parte aliâ deniq́;, Urbibus Starodubo, Homeliâ, alijsq́;, proditione potiti erant, plebe pasſim non favente tantùm conatibus eorum, ſed & operam manumq́; addente. Cui ſtrenui Viri Joannes Pacius, & Ladislaus Volovicius Notarius Campeſtris in eo Ducatu, Sapiehæ item Procancellarij præſidia Bichoviæ, fortisſimo propugnaculo, impoſita, Orſana deniq́; Nobilitas Duce Horſcio Orſæ Gubernatore, raptim collecto milite, feliciter tum ſeſe oppoſuêre. Sed potisſima defendendæ totius

pro-

provinciæ cura Janusſio Radzivillio S. Rom: Imperij Principi, Samogitiæ Generali Præfecto incubuit, eo quod Dux Campeſtris hujus Ducatûs eſſet, & ſummum belli regimen, invalido altero ſupremo Duce Kiszkâ, avunculo ipſius, ſolus adminiſtraret.

Verùm huic lentiùs ex publico ſuppeditabantur, quæ ad delectus faciendos requirerentur. Unde gliſcentibus circa Pripetum & Berezynam tumultibus maturè & validâ ſatis manu obviari non potuit, poſteaq; cum Ducem Electio novi Regis & Matthiæ Lubienſcij Archiepiſcopi Gneſnenſis ſolicita invitatio Varſaviam vocaſſet, abuſa erat abſentiâ ejus aliquot in locis rebellio. Sluckum tamen Boguslai Radzivillij, (qui S. R Imperij Princeps & M. D.Lithv: ſtabulo Pręfect⁹, Campiductori

ctori patruelis frater eſt) hęreditariam civitatem, datus â Principe Gubernator Joannes Soſnowski Dapifer Vilnenſis egregiâ virtute & prudentiâ defendit: & Czerekovię, ab Horſcio aliisq; qui ad eum concurrerant ê vicino, mille quingentorum hominum cladem accepit hoſtis. Hujus deniq; poſteà vim Bichovia acriter oppugnata, feliciter propulſavit. Pinſcum frequentem & copioſam Urbem proditione civiũ abreptam, Gregorius Mirſcius excubijs Caſtrorum Lithvanicorum pręfectus, Vir fortis, alacri virtute Alexandri Komorovij, Samuelis Corvini Goſiewij, Pauli Nievarovij, Lucę Jelſcij & plurium aliorum adjutus; Maximo Hladkio, non poſtremo rebellium copiarum Ductore cęſo, occupavit; & ut arcem rebellium pręcipuam, atq; ut
ſimul

ſimul aliis punitæ perfidiæ oſtentui eſſet, flammis ferroq; diripuit.

Redeuntem Varſaviâ Radzivillium Principem morbus Breſtię paulùm attinuit. Attamen is, non expectato, dū percuraretur valetudo, contempto etiam hyberno, quod ęgris aut convaleſcentibus grave eſſe ſolet, frigore, verſus Boryſthenem duxit. Ubi, dedentibus ſe ſponte & ad ſolam venientis famam, oppidis Turoviâ, Grodeco; primum impetum in Mozyrum vertit. Quod cum à rebellibus, fruſtrà per Pavlovicium & poſteà Mirſcium ad pænitentiam invitatis, magnâ obſtinatione defenderetur; multorum dierum oppugnatione, in quâ Ganſkovius, Legionis Radſivillianæ Vicetribunus, primus cum ſuis vallum obtinuit, hoſti fuit extortum. Inq; eo Mi- *Mozyrū expugnatur.*

chnenko, rebellium Ductor, manu carnificis obtruncatus, caputq; ejus, in terrorem cæteris, ex arcis turri ſuſpenſum eſt. Inde versùs Bobroiſcum, oppidum ad Berezinam ſitum promota arma. Ibi Ladislaus Vollovicius Notarius Campeſtris deprehenſas aliquas hoſtis copias circumſederat. Cui in auxilium mox miſſus Vincentius Goſievius Tribunus & Matthias Fronckevicius haſtatorum Ducis Boguslai Radzivillij Vice-Tribunus arctius circumcluſêrunt obſeſſos. Tandem & ipſe militiæ Dux Radzivillius cum cætero exercitu ſupervenit. Oppidani territi misſis deprecatoribus clementiam Principis invocant. Et is vim Martiam famâ lenitatis temperare cupiens, ignovit quidem ſupplicibus, ſed eâ lege, ut habitatores ſinguli mænibus ſuis egreſ-

Bobroiſcum dedit ſe.

egreſſi, arma & omnes eos, qui hîc Duces rebellionis, vel usquam alibi Coſacis ſocij fuiſſent, dederent. Ac horum aliqui conſcenſâ ligneâ turri, mortem, quam à Victore Duce metuebant, ſubjectis turri flammis occuparunt. Ductor tamen eorum Poddubitius, cum flammam perferre non poſſet, præcipiti in ſubjectas aquas ſaltu vitam conſervare quæſivit. Verùm & ſic in formidatas Victoris manus delatus, ſupplicium unà cum alijs ſubijt.

Succesſit inde hyems, quæ Regno tota paciſcendis & ægrè demum patratis cum Chmelnicio inducijs, Radzivillio autem Duci morbo, militi hibernis pauperioribus miſeriuſculè extracta eſt. Eâ elapsâ, uti Polonis, ſic pariter Lithvanis intentata denuò arma ſunt; miſſusq; fuit à Chmelnicio in Lith- *Bellum poſt inducias redintegratur.*

 vani-

vaniam Elias Holota, acer militiæ Tribunus, nunc decem millium Ductor; ſed quibus ex plebe agreſtium magna agmina mox acceſſura credebantur. Is primùm eam Lithvani exercitûs partem, quæ Zahalij ad Pripetum ſub regimine Volovicij hiemabat, aggredi ſtatuit. Et quod inobſervatus venerat, propè ſuffuratus fuit Victoriam: niſi Falencio Tribuno, qui Volovicij ægri & abſentis vices adminiſtrabat, Vincentij Goſievij Tribuni velites, & Joannis Donavaij peditatus properam ſtrenuamq; opem tuliſſent. Unde con-
Holota cæditur. versâ fortunâ Holota ille in fugam & uligines impulſus, moxq; â perſequentibus Radzivillianis exercitu & ſimul vitâ exutus eſt. Ei poſtea Stephanus Po-
Podobailo ſuccedit. dobaylo à Chmelnicio fuit ſubrogatus. Cujus juſſu is Boryſthenis & Zulæ confluen-

fluentium ripas inſedit, ſtructisq́; operibus munivit: Lojovum autem oppidum ad Boryſthenem ſitum, ne Lithvano Duci ſuffugium aut adjumentum præberet, unâ cum arce flammis ſubjecit. Adverſus hunc Vincentius Goſievius Dapifer Lithvaniæ peditatum Boryſthene ſecundo devehere juſſus, primus omnium, nec ſine acri certamine, ſtationem occupavit, hoſti plurimùm mox offecturam. Interim alius quoq́; à Chmelnicio Ductor & cum eo triginta plus minus millia hominum Lithvaniam intraverant. Ductor erat Crziczevius gente Polonus, nec ignobili ſtirpe ortus. Is captum antehac à Polonis Chmelnicium fide pro ipſo interpoſitâ ê vinculis liberaverat. Poſtea ipſe ad Corſunum, unà cum Ducib° alijsq́; commilitibus captus animum in

Crziczevius ſubvenit.

hoſte repperit beneficij memorem. Sine mora enim & pretio, libertati redditus à Chmelnicio eſt, ſed ita ut tum humanitatis, tum fortunæ Chmelnicianæ lenocinio inductus, alijs rurſum vinculis ſe ultrò homini injungeret. Militiæ enim ejus innexus, & mox vaſti exercitûs ductor eſſe juſſus eſt. Cum quo Lithvaniam ingreſſus, trajecto Pripeto, Rzeczyczam opportuni ſitûs oppidum primo aggreſſurus impetu videbatur. Sed is non oppidum, quod ex proditoribus ſatis præſidio validum cognoverat, verùm caſtra Radzivillii adoriri ſtatuerat, quæ dimisſis tum à principe in diverſa legionibus aliquot, infirmiora credebat: nequicquam id ejus conſilium improbantibus, qui ipſi aderant, peritioribus Tribunis, ut poſtea ex captivis intellectum eſt. Et ini-

Digitized by Google

initio quidem tam bellè rem, ruſticis adiutantibus, adminiſtravit, ut non longè à caſtris Lithvanicis pede inoffenſo conſtiterit, evitatis mirâ felicitate iis, quos hinc ſpeculatum Dux præmiſerat. Qui erant Samuel Comorovius haſtatorum equitum præfectus & Adamus Pavlovicius, ſinguli mille hominum manum ducentes. Poſtridie hoſtis improvisâ celeritate advolvebatur caſtris: in quibus, quanquam de tam propinquo hoſte non conſtiterat, omnia tamen, ex primâ venientis Crziczevij famâ, ad pugnam ſtabant parata. Primus ſuccedenti hoſti obiecit ſe Lucas Chodorkovius prætoriam velitum turmam ducens; quem quadringenti pedites, Podleckio & Juskievicio ductoribus, ſubeuntibus Coſacis crebrâ globorũ grandine infeſti juvê-

Caſtra Radzivilliana invadit Crziczevius.

Digitized by Google

juvêre. Interim equitatus reliquus ad pugnam ſe rectius compoſuerat; ex quâ Dapifer Gaſievius & Paulus Niewarovius cum haſtatorum turmis eâ vi procurrêre in hoſtilem aciem, ut ſiniſtra ejus ala profligata ſylvam mox reſpiceret. In quam tamen recepta pugnare non deſtitit, ſed ab equeſtri prælio ad ſclopos converſa multos equis inſequentes ſtravit, plurimos verò etiam ex Ductoribus ſauciavit. Urgentibus nihilominus Radzivillianis ala univerſa in penitiores porrò ſylvas diſperſa fugataq;, aciei ſuæ poſteà uſum, Radzivillianæ damnum afferre non potuit. Sed tres equeſtres turmas, cum longè â caſtris ardor dimicandi abſtuliſſet, eas Coſaci alij, alæ ſiniſtræ jacturam ulturi circumvenire conniſi ſunt. Et voto potiti erant, niſi fortuna

tuna vel potius benigna Dei curà inſperatum auxilium ſubmiſiſſet. Dum enim pauci iſti cum tam multis luctantur, en opportunè Comorovius ille, quem antè exploratum & carpendis antecurſoribus miſerat Radzivillius, advolat, ipſo armorum ſtrepitu admonitus de hoſte, in quo vincendo ſuas quoq; habere partes vehementer optabat. Et quamvis nō adeò numerò validâ manu (mille enim hominum erat) inſtructus, ſuæ tamen poſt Deum ſuorumq; virtuti fiſus, tum verò, per ſummum Patriæ & laudis amorem, nihil vel de periculo ſuo vel hoſtium numero ſolicitus, à tergo hoſtem invadit, & tum vi illatâ ſubitâ, tum qui vim ſuperabat, terrore percellit. Et inſidias, qui dextrum cornu tuebatur, ſuſpicatus Coſacus, veritusq; ne indidem plures ingruerent,

rent, maturè ſe in proximas ſylvas recepit: nec ſolitis illarum ſuffugijs contentus, vallo etiam raptim acto ſe circumduxit. Lævum cornu cæterorum fugâ deſolatum, & Radzivillianorum tantò jam graviore impetu impulſum diremptumq́;, non jam pugnæ, ſed cædis materia fuit victoribus. Ita campo quidem tum ſubmotus hoſtis, niſi quà cæſi vel saucij eum repleverant. Paulo poſt tamen, eadem, quæ refugerat, multitudo ſylvarum & paludum opportunis ſibi latebris uſa, plurimum damni ſcloporum ictibus intulit Radzivillianis: propè etiam Vincentium Goſievium Palatinidem Smolenſcenſem præclarum genere & virtute virum abſtulerat. Nam & equus ſub ipſo procubuit ſaucius, & in pectus viri globus inciderat, ſolo loricæ tegu-

mento

Digitized by Google

mento repulſus. Sed tum, equeſtribus turmis extra iactum ſcloporum nonnihil ſubductis, Noldij Curlandi peditatus ſubſeſſores iſtos æquo armorum genere aggredi, atq; in aperta camporum propellere juſſus eſt. Quod cum egregie ille feciſſet, equitum mox denuò facto concurſu, quicquid iſtic hoſtium erat, circumventum deletumq; eſt. Inter hæc Podobailo alius Coſacorum Ductor duodecim millium peditatum navigijs impoſitum ad citeriorem Boryſthenis ripam trajiciebat, Krziczevio opitulaturus. Et ſi maturo adventu integras Krziczevij reppeririſſet, longè difficilius profecto negotiū Radzivillio Duci reddidiſſet. Sed quia diviſim iſti in campum venêre, factum eſt Dei favore, ut dum ſinguli pugnarent, univerſi vincerentur. Nam &

hunc Podobailonem, cum is jam majori parti ſuorum in citeriore ripâ expoſitæ munitionem opere ſubito circumjeciſſet, miſſus à Principe Ganskofius Vicetribunus, cui Kaſperſcius, Przypkovius & plures alij ordinum Ductores, cum cohortibus ſuis adjuncti ſunt; ſed deniq; & ipſe cum turmis equeſtribus accurrens Dux ita invaſit, ut hinc quidem multi Ductorum ſauciarentur, ſed hoſtis, iſtâ oppugnatorum virtute ſuperatus, in flumen proturbaretur: ita ut nantiũ capita omnem penè aquæ conſpectum eriperent: &, cum ſtantes in ripâ ſclopetarij, quaſi per luſum, deſtinatis ictibus natantes figerent, ex quatuor millibus & quingentis vix trecenti evasêre.

Nondum finis erat laborum. Reſtabat adhuc, quod ſuperari oportuit;

tuit; ut plena eſſet victoria. Etenim Carrago hoſtilis cum peditatu & impedimentis ſupererat, ibatq; ad Krziczevium. His obviam, ex copiis Mirſcij Excubiarum præfecti, miſſus inter alios Reinholdus à Tiſenhauſen, curruum illam compagem peditatu ſuo, auxiliantibus Noldio & Vechmanno, disjecit, machinisq; quatuor potitus eſt. Et fruſtrà in ſubſidium ê ſylvis eruperat Krziczevius. Namq; lætus extra latebras & in æquo hunc videre Radzivillius rectâ mox acie in illum ivit. Primò omnium turma haſtatorum immiſſa, cum rem fortiter ageret, & mox ſequerentur alij, brevi tempore motus loco hoſtis & in ſylvam rejectꝰ eſt. In cujus ille intimas latebras profugiens, concædibus, cadaveribus, alijsq; ejusmodi, quæ fors de-

derat, objectamentis, feſtinatisſimo labore ſe circumſepſit. Iſtic non à peditatu tantum, quem commodè tum Joannes Ottenhauzenius Vicetribunus ex alterâ parte amnis huc transportaverat, ſed ab equitibus etiam, pedeſtres labores ſingulari quodam ardore capeſſentibus, oppugnatus, multos Radzivillianorum ſauciavit ſtravitq; atq; inter eos Chriſtophorum Cotovium virum præclarum militiæ. Sed nocte ingruente, cum relictis ad excubias agendas copijs, reliquum exercitum ex illis nemorum vepriumq; anguſtijs Dux cautisſimus reduxiſſet, hoſtis ſuâmet ſponte, & inprimis à ſpeculatoribus oppugnationem denuò parari nunciantibus, territus, ſummâ trepidatione in fugam abiit, omnibus quæ morari poſſe viderentur, relictis vel abiectis.

Ductor

Ductor ipſe Krziczevius vulneribus invalidus ac aliquandiu ſuorum manibus geſtatus, cum dein periculum vel metus augeſceret, deſertus, in manus Radzivillianorum, ſemi animis devenit; & ab his in caſtra curru devectus, ibi infelicem animam exhalavit. Nihilominus reſurrecturi denuò belli minæ erant, & ad Babicas ſexaginta millia Coſacorum trajicere Pripetum ferebantur: adverſusq; eum iam iturie-bat exercitus. Sed Zboroviana compoſitione & hoſtiles Coſacorum copię revocatæ, & Radzivillio victori, militiq; univerſo ad reſpirandum quies data eſt.

Ad hunc modum victis alibi, alibi fortisſimè propulſatis hoſtibus, univerſum hoc Regnum non modo ex ſummo periculo, evidentisſimo DEI auxiliantis favore ac curâ ereptum ſed & pace,

ce, præter opinionem omnium, exhilaratum eſt. Certè plurimi nuper Reipubl: huic, hoſtium multitudine expensâ, omnia adverſa ominati erant, alii in ſpem quidem bonam proniores, haudquaquam tamen adeò citum belli colophonem expectaverant. His proin omnib⁹ rem ſomnio ſimilem narrare viſi ſunt, qui primi pacis initæ nuncium attulêre. Aliqui etiam ex remotioribus falſum eſſe nuncium, depoſitis magnis pignoribus, affirmare auſi ſunt. Ægrè demum famæ conſtanti, & inſequentibus mox pacis effectis crediderunt fieri poſſe, quod factum eſſet.

LIB. II.

Digitized by Google

LIBER II.

REvertentem inter exultantis ubiq; Poloniæ plauſus Regem habendorum comitiorum cura mox excepit. In quibus & transactionis pacta firmanda, & militi tot laboribus feſſo quies ac ſtipendia procuranda erant. In eorum auſpicijs nomine Nobilitatis ſalutatus Rex eſt â Boguslao Comite de Lesno, Generali majoris Poloniæ, nunc & Ærarij publici ſupremo præfecto, magnificâ allocutione: quâ DEI, miris adeò modis Patriæ auxiliantis beneficium, & Regia Virtus, ingens Divinæ opitulationis inſtrumentum amplisſimis

Comitia habita Anno. M. Ioc. L. Menſe Novemb. & Decemb.

verbis efferebatur. Cum ad negotia deventũ eſſet, varia equidem, pacando penitus Regno, conſtituta, ſed & inter alia decretũ, ut Reſpubl: perpetuò Kioviæ habeat Senatorem, arbitraturũ ê propinquo res actionesq; Coſacorũ. Eamq; in rem Adamus Kiſielus, recèns tum ex Braclavienſi Palatinus Kioviæ â Rege nominatus, aptisſimus eſſe viſus eſt. Et, illo accurante, compoſit⁹ à Chmelnicio, in numerum & leges certas Coſacorum exercitus eſt. Sed ægrè in obſequio manet multitudo armata, ubi ſucceſſu & viribus ſibi placuit. Ægerrimè verò tùm, cum congregari, ubi lubitum eſt, poteſt: nec in propinquo ſummum ſentit rectorem, cujus autoritatem reformidet. Coſacorum hic exercitus quadraginta millium capitum erat, & ita diſtributis per Ukrainam ſtabulabatur

agris,

agris, aut contuberniis, ut coire ſemper facillimo negotio poſſet. Fræ-num itaq; Reipubl: eò usq; non recu-ſaturus videbatur, quam diu id ferre è re ſuâ eſſe putaret. Nihil quidem fidum aut diuturnum ſperari ab eâ poterat multitudine, quæ licentiæ avidisſima, ejus porrò uſurpandæ arbitrium & vires in manu ſe habere exiſtimaret. Attamen perſtitit ea, recente adhuc pacis initæ memoriâ, & quod vires minus usq; compoſitas ſentiret ſuas, per anni ferè ſpatium in officio; ſed ita, ut bellum identidem timere, nec minus quoq; minari videretur. Præcipuè Chmelnicius, haud firma ratus, quæ iniquo Reipubl: tempore obtinuiſſet, nova potentiæ munimenta quærebat, quibus obtenta tueri, atq; etiam, ſi fortuna vellet, majora adipiſci

poſſet. Itaq; in pace ipſa inquies cum externis quibusdam Principibus clam conſilia ſociabat. Inprimis verò cum Aulâ Ottomanicâ, cujus præſidio non tutum ſe duntaxat, ſed & omnibus alijs formidabilem fore ſperabat. Vnde eos, qui illud imperium vel conſilio regerent, vel colerent obſequio, in arctioris conjunctionis ſolicitabat ſacramentum. Baſilium autem Moldaviæ (quam per errorem Valachiam vulgò vocant) Palatinum oderat is, & apud Aulæ Turcicæ præcipua capita calumniabatur, quaſi Turcam quidem ut Dominum venerari videretur, ſed per occulta & magis fida in Polonos inclinaret, Quibus, ſi quid Chmelnicius moliretur, eo indice illicò innoteſcat. Per quem etiam Tartarorum conſilia & machinationes hucusq; occultæ eſſe

non

non potuerint. Ac tantum apud Turcas valuit Chmelnicius, ut inde nuncium deniq; eliceret, qui maximis ab Aulâ Ottomanicâ allatis promiſſis, & inprimis dandæ in feudum Chmelnicio, ſi Turcicum patrocinium amplecteretur, Ruſſiæ, fidem hominis non jam ſolicitavit (nam ſatis promptum ad omnia repperit) ſed firmavit Hero ſuo.

Sub hoc ipſum tempus à Chano quoq; nuncij cum literis aderant, qui pro auxilio ipſi contra ſeditioſos Circaſſios, cum conſenſu Regis, lato, gratias Chmelnicio agentes, easdem copias adverſum Moſcoviam poſtularunt. Et in hanc equidem terram jam pridem acuebat ferrū Tartarus, injuriarum iſtìc illatarum ſibi conſcius, vindictamq; adeò prævertere cupiens, & prædis deniq;, quas ſuperioribus annis

inde abſtulerat, illectus in ſpem majorum. Sed nunc tamen Moſcoviticam expeditionem obtentui tantum ſumptam, eventus docuit Quippe enim fulmen hoc parabatur in Valachum, qui ut incautior opprimi poſſet, technis ejusmodi circumveniendus videbatur. Et ſanè non multo poſt nubes hæc rupta Palatinum illum ſummis periculis circumfudit. Multa quippe millia Tartarorum quater mille Coſacis comitata, rapidisſimis itineribus ipſam Valachiæ metropolin ſubitò invasêre. Palatinus nullis hactenus nuncijs, de impendente à Tartaris tempeſtate monentibus, fidem habuerat: unde jam ipsâ ſecuritate imparem ſe irruentibus factum, ſerò ſentiens, in proximum nemus, denſum & hoſti haud facile pervium, cum familiâ & pretioſisſimis qui-

quibusq; rebus, vix evaſit. Iſtic ſepimento ex provolutis arboribus ſtructo defenſionem ſui moliens, & per nuncios interim de injuriâ & ſuâ & Imperatoris Turcici, cujus hæc terra ſit, multa querens interminansq;, miſſoq; in ulterioris transactionis fidem obſide fratris filio, pecuniâ deniq; oblatâ (viginti millia aureorum fuiſſe feruntur) diſcrimini ſe exemit. Cum poſtea ad pactorum conditiones ventum eſt, multa gravia non tam Tartari, quàm Chmelnicius ab illo exigebat: remittenda tamen pleraq;, ſi unum impetraſſet, ut filiam ſuam, quam nonniſi unicam jam domi habebat Palatinus (nam alteram Januſſio Radzivillio Principi, M. D. Lithv: Campiductori elocaverat) filio Chmelnicij Timotheo daret in uxorem. Audax & arduum

duum id videbatur Chmelnicij poſtulatum, tamen neceſsitas expreſsit, ut promitteret Palatinus, ſpe intra animum fretus, antequam in manum Juvenculus ille, tali equidem conjugio minimè dignus, cum ſponsâ conveniret, impedimenta aliqua interjectum iri, quæ pactum reſcinderent. Cæterum eodem tempore, quo Turcicum Tartaricumq; Chmelnicio, ut ſupra retuli, Legatum adfuiſſe dixi, miſerant ad eundem Proceres quidam Poloni famulos de agreſtium, Heros ſuos recipere vel ijs parere dedignantium, inſolentiâ queſturos. Quibus ille comiter primùm exceptis, poſteà multa de potentiâ ſuâ, de Turcico patrocinio, & hinc ſecuturis Muldavi Valachiq; ſubſidijs diſſeruit: bellum etiam Poloniæ, & his qui fundos ſuos poſtliminio occupaſ-
ſent,

ſent, Nobilibus internecionem interminans, ſi caſtra aliqua à Polonis in vicino locari audiret. Ac eodem die cum inter pocula neſcio quis nunciaſſet illi, caſtra jam poſita, & tendere ad illa undiq; militem Polonum, ita exarſit, ut Tribuno mandaret ſuo, noćte provećtiore Polonos iſtos omnes uti ſubmergi curaret. Interim illum quidem ſomnus ebrium corripuerat: at miniſtri ad necem Polonis iſtis, imminentis periculi ferè ignaris, inferendam parati ſtabant. Favor tamen Numinis fecit, ne facinus ante aggrederentur, quam illi ê ſomno evigilanti uxor nunciaſſet, quid juſſu ejus ſtruatur in hoſpites iſtos. Tactus tum pænitentiâ mittit mox aliquem, qui cædem, niſi patrata eſſet, vetet perfici. Nempè redeunte poſt crapulam mente, non

ſuſtinebat eo modo effundere conceptam in Polonos bilem, quàm ebrius ſubinde liberius evomebat. Fuit etiam, cum ipſe Kiſielus Palatinus, arbiter â Rege rebus Coſacorum datus, de vitâ apud ipſos periclitaretur. Cum enim Kioviæ Chmelnicius iram neſcio quâ ex causâ erga Palatinum oſtendiſſet, plebs cætera rem Duci ſuo gratam facere cupiens, Monacho quodam Rusſico ſtimulante, cruenta omnia machinari, & tandem in patrandam necem ejus ſe promptam offerre cæperat. Sed Chmelnicius offenſam in Palatinum apud tumultuantes extenuans, & quicquid ejus fuerit, deflagraſſe jam teſtatus, maleconſultum ſæva machinantium impetum represſit.

Quod autem de caſtris Polonicis nunciatum illi dixi, verum equidem erat.

Digitized by Google

erat. Potocius enim Caſtellanus Cracovienſis & ſummus exercituum Dux, poſtquam ex captivitate Tauricâ, in quam virum fortisſimum clades Corſunenſis conjecerat, relicto iſtic obſide & in lytri reſidui pignus filio, liberatus erat; exercitum Reip: ordinarium, paucis aliquot millibus tum auctum, ad Cameneciam deduxerat; nullam tamen vim cuiquam tum inferre cogitans, ſed pro incolumitate Reipubl: excubiturus, præſertim cum fines illos novi Tartarorum Coſacorumq; motus circumſtreperent. Et id antea quâvis æſtate factum nemini vicinorum ſuſpicionem belli fecit; at fecit Chmelnicio, omnia ſcilicet tuta timenti, & quòd ſuæ ſibi perfidiæ conſcius eſſet, parem ab alijs expectanti; utcunq; etiam Kiſielus Palatinus, juſſu

Regio, diffidentiam conaretur eximere. Nec mora. Mittit Coſacus ad Potocium, quem ſimul atq; is è vinculis Scythicis redierat, maximè ſuſpectabat, Krawcencum, qui nunciaret: *mirari Chmelnicium admotas finibus Polonorum copias, nec cur admotæ ſint, ſatis conjicere poſſe, quando firmam omni ex parte Polonis pacem nullo ab hoſte ſolicitari ſciat.* Reſpondit Potocius: *non eſſe cur miretur Chmelnicius, quem non lateat, ex antiquo more Polonos paratam ſemper militum manum, altiſſimæ etiam pacis tempore, in limitibus Regni habere.* Coſaçus regerere: *nunc iſtâ diligentiâ minus egere Rempubl: Coſacorum quippe præſidio & cuſtodiâ, cui fidere poſſit, ſuccinctam.* *Qualis hæc,* infit Potocius, *cuſtodia aut pacis tutela eſt; quando Nobilibus vicinioribus vis infertur, cæteris fugiendi neceſſitas imponitur; quando meus etiam in Nizinenſi præfecturâ ſubpræfectus ægrè violentas agreſtium manus effugit.* Tum Coſacus, *nullo Chmelnicij juſſu fugiſſe iſtos, & ſi qui Nobilium vim paſſi ſint, non â Coſacis, ſed â ſubditis ſuis paſſos.* Noluit cum homine hac ſuper re amplius diſceptare Dux; ſed quæſivit porrò, *quid iſtud belli ſit, quod ſuo Marte ſuſceperit Chmelnicius: ſaltem, antequam id ſuſciperet,*

Digitized by Google

ciperet, ſecum, cui ut ſummo Exercituum Duci ſecuritatis publicæ cura commiſſa ſit, inire conſilium debuiſſe. Ille neſcio quid cauſatus, properum ad quæſita ſua reſponſum petebat. Coſacum excipiebat Tartarus à Perecopenſi Prefecto juxtà cum Coſaco & eodem fine miſſus. Interrogatus hic à Potocio, ubi *jam agat Præfectus? Cum Chmelnicio,* inquit, *miſſus ſcilicet ad illum à Chano cum 30. mill. Tartarorum.* Perſtrinxit hæc confitentis libertas Ducem; tamen joco rem involvere malens, *latè patent,* inquit, *ditiones Regiæ Maj: & pro neceſſitudine, quam Chanus cum Rege habet, integrum ei eſt paſcuis uti noſtris.* Subjicit Coſacus, *Terra Coſacorum jam Tartarorum terra eſt: nec in ea quicquam illis negamus.* Poſt alios ultrò citroq; habitos ſermones digreſſus tum Potocius, paulò poſt utriq; internuncio reſpondit: *ſe juſſu Sereniſſimi Regis ſui hîc metatum caſtra; ſine juſſu ejuſdem inde non moturum.* Statim tum reſponſo iſto minus contentum fore Chmelnicium o-

ſtendit Coſacus, jecitq; porrò voces, unde Coſacorum conſilia in bellum prona colligi poſſent. Nihilominus æſtate iſtâ non erupere hæc in apertum: ſeu quod ſatis haberet Valachum, hoc anno, ita emunctum, ad arctiorem neceſſitudinem ſecum, in ſecuturos caſus ſibi, ut rebatur, munimento futuram compuliſſe: ſeu quod potentiæ ſibi non ſatis adhuc compoſitæ conſcius, excubitorem hunc Regis exercitum, alacrem equidem & congredi paratum, Ducem quoq; publicas & in ijs ſuas injurias acerrimâ virtute ulciſci cupidum, revereretur. Cæterùm Nobilitas non tutius illis in oris agebat, quam ſi bellum publicè gereretur. Adeò injurijs primùm varijs, mox & cædibus in nonnullos iſtic deſæviebatur: ut tandem pleriq; fugiendo inde conſulere ſibi neceſſe

ceſſe habuerint. Neq́; proceres, quorum aliquib: magna latifundia; aliquib; ut Viſniovecio Duci; principatus iſtic erant; quicquã inde aut certè perparùm percipiebant emolumenti. Unde fremere iſti, & pacẽ ejusmodi nihil propè bello meliorem dicere. Rex ipſe ſcripſit ad Chmelnicium, *bellum in Valachũ injuſſu ſuo motum, injurias Nobilitati illatas, & velut è cineribus reſuſcitatas belli ſcintillas, homini exprobans: ſimulq́; mandans, ut exercitus in hyberna dimittat, ſeditioſos & Heris ſuis, exuto obſequio, arma inferentes, puniat coërceatq́;.* Reverenter accipere epiſtolam viſus eſt; ſed in exequendis, quæ Rex mandaſſet, frigidus, agreſtium quidem inſolentiam non cohibuit: Interim vicinorum Principum, inprimis Turcicam magis magisq́; ſibi firmabat: Moſchorum quoq́; fœdus jam dudum eò ardentius ambiens, quo fidius ſibi ab eorundem ſacrorum populo præſidiũ pollicebatur. Et Moſchi quidem

dem hâc Coſacorum fortunâ eousq; u-
ti inſtituerant, ut â Polonis, jam, ut ma-
lè putabant, debellatis, conditiones to-
lerabiliores, quam quas olim â Victo-
re Vladislao IV, glorioſæ memoriæ, im-
petraverant, obtinerent. Eoq; fine
Legatos non ita pridem miſerant, *qui ne-
ſcio quam ignominiam Principi ſuo, per non datos ei à Polonis
quibusdam Proccribus titulos, nec non ſcriptis aliquibus famæ, ut
ajebant, ejus gentis minus honoris illatam Magni Ducis ſui nomi-
ne, cauſabantur, adeoq; in compenſationem injuriæ, Smolenſcum
& ingentem argenti ſummam poſtulabant â Republ:, ſimul, ſi
quod vellent, non impetraſſent, bellum minantes.* Sed i-
ſtos tam diu Varſaviæ retinere Regi pla-
cuit; dum de ſuperbis poſtulatis per
Nobilem virum, Bartlinſcium nomine,
interrogatus ipſe Magnus Dux ſigni-
ficaret, *num ipſo conſcio & autore adeò immodica ſpira-
rent legati.* Ille ejusmodi reſponſo dimiſit
internuncium, quod non difficilem
mox cum legatis transactionem reddi-
dit.

dit. Scilicet enim is, quemadmodum Græcæ Religionis, quam & ipſe ſequitur, in Rusſiâ Polonicâ incrementis lætabatur, ita Chmelnicij fortunæ non admodum favebat: eo quod bonis ſucceſsibus hîc uſa rebellio, facilè quoq; animos plebis Moſchoviticæ ad ſimiles conatus erectura videbatur: & jam pasſim iſtic ſemina ejusmodi ſeditionum gliſcebant, alicubi etiam in flammam eruperant. Nondum Rex Legatos Moſchicos dimiſerat, cùm à Chano veniunt, qui Regem in ſocietatem belli adverſum Moſchos invitent; præmium ſocietatis Regi offerentes, quicquid illius terræ junctis armis occupatum ibi fuerit: Chanum ſolis ditionibus Tartaricis, quæ jam ſub Moſcho ſint, contentum fore. Sed Rex cum Moſcho antiquum, quam novum iſtud

cum Chano fœdus maluit. Ipſe interim miſſo Alberto Biecinſcio interprete Chanum â ſocietate Coſacorum avellere conabatur. Et res pulchrè cedere cæperat: poſteà tamen â ſupervenientibus Coſacorum nuncijs diſturbata eſt. Cum amico Poloniæ Palatino literarum commercium jam frequentius habebat Chmelnicius, ſtabilem ſcilicet ſibi ab eo amicitiam pollicens, ut cui arctisſimus per matrimonium acceſſurus mox eſſet nodus. Sed is verbis benevolentiam præferens, conſilia ex rerum fluentium curſu temperabat: factam vel poti⁹ extortam conjugij ſpem, ſi ſine detrimento terrarum ſuarum poſſet, lubenter fruſtraturus. Regi porrò ſubinde adhuc ſcriptis literis, Chmelnicij machinationes & Turcis jā autoratum animū ſignificabant ê viciniâ amici,

ſuam

ſuam ſimul in Polonos propenſionem conteſtantes, ſed quam tempori tandem & fortunæ ſubmittere cogerentur, niſi à Rege & Republ: conatus Chmelnicij interverterentur. Simul & hujus epiſtolas transmittebant, pactionum cum Turcâ indices, minaces contra & ignominioſas admodum Regi Regnoq;. Unde omnimodè de remedijs cogitare res monebat. Altiores jam hominis iſtius criſtæ erant, quàm ut ferri poſſent; & patientiam omnem audacia ejus anteiverat. Simul verò ipsâ ſuperbiæ magnitudine ruinam ſui Polonis promittebat: Inſolentiam enim in tali faſtigio diu conſiſtere non poſſe rebantur, quin iret in præceps.

Convocat Regni Ordines Rex; *conculcatam Majeſtat: ſuam & ſimul Reipubl: exutos ditionibus & herili dominio tot Nobiles, principesq; Reipubl: viros, ſuperbum viribus ſuis perduellem & ſubinde ſe novis accingentem, imò jam poſt Tartarum Turcas ipſos in Polonos armantem, paulo poſt in Regem ſuũ Regnumq; nihil non auſurum,* demonſtrat. Aderant ex omni parte Proceres & *Comitia ſub finem Anni M. Ioc. L.*

res & ex Palatinatibus nuncij, qui Nobilitatis mentem deferre ad Comitia ſolent: pari omnes libertate, & proin, ut fieri neceſſe eſt, non pari mox conſenſu, quæ ê Republ: viderentur, differentes. Erant quos belli adverſa adeò perculerant, ut pacem qualemcunq; præhabendam armis cenſerent. *Et hi attritas Regni vires, contra Coſacorum ingens robur, pronasq; in ipſorum auxilium vires Ottomannicas, deniq; pactorum Zboroviensium fidem cauſabantur.* Sed alij & plures, preſentia futuraq; peniti⁹ introſpiciētes, *eò jam propè deventum judicabant, ut aut Coſacis, aut Reipub: pereundum ſit. Nonniſi precarium videri in eos Regis imperium: & adoleſcere iſtic Principatum, qui niſi maturè prematur; triſte aliquid minetur Polonorum gloriæ & Libertati. Pacta iſtos & interpretari & violare pro lubitu. Ea igitur ex hac parte ſervata velle, nihil aliud fore, quàm imbecillitatem ſuam confiteri. Eſſe Reipubl: adhuc vires, dum rectè excutiantur, & qualescunq; ſint, melius ſuffecturas creſcenti, quàm ſuum jam apicem adeptæ potentiæ. Recaluiſſe etiam nunc antiquam in animis virtutem; & quæ diuturnâ pacis felicitate paulùm elanguerat, adverſis admonitam, arma compoſitiùs jam tractare. Quod caput ſit, adeſſe Regem, qui animi plenus & corpore vegetus, parvis exercitibus magna egerit, &, ſummæ vir-*

Digitized by Google

mæ virtutis clariſſimis aliquoties editis ſpeciminibus, majora porrò polliceatur. Benè illi cecidiſſe res, etiam cum deſperatiſſimæ viderentur. Daretur huic juſtæ molis exercitus: haud dubiè frænatâ inſolentiâ rebellium, Reipubl: antiquum & vigorem & dignitatem redditurum. Hos ita differentes noviſſima porrò poſtulata Coſacorum accendebant, quibus inter alia petebatur, *ne Nobilibus intra terminos, Coſacorum ſtativis deſtinatos, habitare fas ſit. Et porrò firmandæ Zborovienſium pactorum ſecuritati, à Rege & Republ: obſides, viros primariæ dignitatis, atq; inſuper peculiare jusjurandum exigebant.* Indignantiſſimè omnes ferebant, *eo audaciæ prolabi iſtos, ut tam immodica audeant poſtulare. Non ſufficere ijs pacta verbo Regio, fide publica, comitiorum etiam autoritate ſtabilita: ea inſuper requirere, quæ nullus unquam Regum aut Monarcharum Regi alij vel imponere vel præſtare ſuſtineat. Ludibrio iſtos habere Regnum: quod ad infima ſervitutis autoramenta quærant adigere. Fidi equidem non poſſe tam diffidentibus: & immodeſtis ejusmodi poſtulatis nihil profectò illos aliud indicare, quam pacis & felicitatis ſuæ pertæſos, bellum velle.* Cum inſuper Amici Poloniæ Principis monitrices & ad hunc alioſq;, Chmelnicij literæ, in Regem Regnumq; contumelioſiſſimæ legerentur: nemo jam propè adeò abjectè in

P 3 quie-

quietem propenſus manſit, quin omnes nervos Reipubl: intendendos ſvaderet, ut ſervorum Dominis ſuis adeò ſuperbè inſultantium jugum excutiatur.

Commiſſarij deſtinantur ad Chmelnicium.

Nihilominus, ut moderationis, cujus iſti obliti ſint, Respubl: ſaltem memor eſſe videatur, Commiſſarios primū ablegari ad iſtos placuit, qui referant *ſi quà per obſtacula evidentiſſima, pactis Zborovienſibus minus adhuc ſatisfactum videretur, in Rege & Republ: moram non eſſe, quin ſatisfiat:* ſimul moneant, *quæ pactorum ante ſatis ſtabilitorum nova & inuſitata firmamenta requirant, immodica ipſis, Regno inhonora eſſe. Deniq; ſua ipſis facinora ob oculos ponant: qui tot Nobiles ad propria ſua prædia aut non admiſerint aut admiſſos immaniter trucidarint. Quorum Ductor Chmelnicius, inſcio & inconſulto Rege, legatos mittat ad exteros Principes, viciſſimq; recipiat, fœdera & haud dubiè armorum ſocietatem paciſcatur. Deniq; quod indigniſſimum ſit, vicinos amicosq; Regno Principes hoſtiliter invadat, nihil penſi habens: Rempubl: inſciam & invitam ingentis belli neceſſitate implicari ſic poſſe. In iſtis omnibus juſtam & properam emendationem poſtulandam, quò fræni adeò in immenſum erumpenti licentiæ amicâ compoſitione injiciantur, vi alioquin imponendi.*

Ludibrio fore videbatur hic delegatorum conatus, niſi ab armorum pone ſe-

ne ſequentium terrore momentum & pondus acciperet. Quare conſtitutum tum mox eſt, Rege inprimis annitente, ut ſine morâ, delectibus paſſim in Regno inſtitutis, ſtipendiariæ quinquaginta millium copiæ conficerentur. Rarò ante tantæ magnitudinis exercitum ære conſcriptum viderat Regnum; haud difficulter tamen Regis conſilio judicioq́; vel ipſi potius necesſitati publicæ annuêre omnes. Et ne nervus deeſſet, tributa illicò indicta ſunt, magna ſanè & multa, tamen ſvavia, quia abolendo majori Regni oneri deſtinabantur. Etiam in Generalem Nobilitatis univerſæ evocationem, ubi res exigere videretur Regi, conſensêre Ordines. Quanquam uti antea, ita nunc quoq́; non deerant, qui manibus pedibusq́; contende-

tenderent, delectibus potius habitis conflandum quantumvis exercitum, nullo autem modo ciendas has intimas Regni vires.

Hyeme jā adultâ, An: M.IↃc.LI.ineūte, hæc concludebantur, & hyeme eâdē in effectum deduci iſta votū erat omnib⁹. *Quò Coſacis, ſi hoſtes quam ſubditi Reipubl: eſſe mallent, minus temporis ad parandas contrà vires daretur: & pronior ad illos Polonis acceſſurus futurus erat, dum flumina & paludes, quibus illi multum fidere ſoleant, gelu conſtrictæ tenerentur. A Turcis, frigorum intolerantiſſimâ gente, nihil nunc ſubſidij illis expectandum, nec â Tartaris adeò vel facilè vel diu juvari poſſe, ubi pabulum equeſtri illi militiæ brevi defuturum ſit.* Nec mora, illicò tympana paſſim circumſtrepunt, colligendo militi quà domeſtico; quà externo. Et hujus facilius tum copia haberi poterat, quia in vicino Germaniæ Imperio, pax non ita pridem coalita multis militiæ magis vacationem, quàm tædium fecerat.

Cæte-

Cæterùm collectioni militis utcunq; ſuffecêre hiberni hi menſes: ſed tam citò tamen ille ita armari inſtruiq; nequibat, ut tum illicò duci in Rusſiam poſſet. Itaq; cum Ordinario Reipub: exercitu illuc Martinus Calinovius, Campeſtris militiæ Dux, vir longo rerum uſu bellisq; dudum exercitatisſim⁹ â Rege miſſus eſt, præpediturus, ut, ſi bellum paci antehaberet Chmelnicius, non nudum ſaltem Reipubl: latus reperiret. Et is quidem ſimul ut armis circumſonarè Poloniam audiviſſet, (id enim diu latere hominem non potuit) illicò contrà accingebatur: nihil de ferociâ immodeſtiâq; remittens. Nam & pacis prætentamenta, quæ Commiſſarij, hominem tali rerum ſtatu adire non auſi, èminus oſtentaverant, aſpernabatur: & nullum fidum

 indi-

Digitized by Google

indicium attemperandæ ad Regia imperia voluntatis præbebat. Illicò & ex ejus Tribunis unus minimè poſtremæ notæ, Nieczajus nomine, trium millium copias ducens, cancellos pactis Zborovianis definitos tranſilijt, igne ferroq́, omnia paſſim miſcens. Qui ubi â Stanislao Lanckoronio Palatino Braclavienſi, vigili illius tractûs defenſore, fruſtrà per literas monitus eſſet, ipſosq́; etiam milites Palatini, viros nobiles, in conſpectu nuncij, qui Turcicâ ab Aulâ tum aderat, obtruncari jusſiſſet, Campiductorem tandem & hunc ipſum Palatinum, rigente etiamnum ſidere hiberno in ſe concivit. Et ita iſtis feliciter cesſit res, ut campo hominem brevi armis exigerent. Poſteà cum in Craſnam oppidum ſe recepiſſet, eo expugnato, occiſum iſtic â Baibuzâ nobili viro,

Digitized by Google

viro, Simeonis Baibuzæ veterani ductoris filio repperêrunt. Reliquas, quas ille homo hîc illic diſperſerat copias, per oppida affectari oportuit; quorũ aliqua etiã ea occaſione vel exuſta vel miſerè ſaltem direpta ſunt. Nieczajo, uno capite huj⁹ lernę eliſo, ali⁹ nec minor Dux nec melior, Bohunus Calinovio ſeſe objecit, Vinniciamq; occupavit. Regia illa Urbs eſt, & in ejus arce Coſaci non incommodum receptaculum ſibi habituri videbantur. Sed arcem Regii, ſuperato non ſine periculo, imò & exitio nonnullorum, Boho flumine, aggreſſi & deniq; per vim ingreſſi, repertos iſtic Coſacos non paucos trucidârunt. Major tamen pars in Vrbem refugerat, ubi ê Monaſterio quodam magnâ obſtinatione elusêre Regiorum conatus. Et in auxilium ijs veniente a-

liarum copiarum Ductore Gluchio, Vinniciam tum Regij reliquêre, ſed ita, ut mox reſumpto impetu eandem, expulſis cæſisq; inſeſſoribus Coſacis, recuperarent. At non procul inde reſtitit iterum Bohunus, & eum plurimæ legiones, Czeherinenſis, Przylucenſis, Lubenenſis, Braclavienſis, bis mille minimùm milites ſingulæ complectentes, ibant ſublevatum. Quos contra progredi in campum Regijs viſum eſt, relictâ tamen, qui Vrbem, & depoſita in eâ impedimenta defenderent, peditum & Calonum manu: intermixtis etiam nonnullis Voluntariorum. Inter hos orto temerè terrore ac confuſione, currus â Calonibus expilati & relicta Vrbs eſt. Exercitus verò, uti effuſi, quà fors ferebat, famulitj fugam ſiſtere non poterat; ita ipſe in acie ſtabat

immo-

immotus paratusq; prælio. Tandem tamen metu, ne à multitudine circumventus, commeatu, cujus quicquid paratum erat, cum curribus in Vrbe amiſerat, careret, Barum Campiductor retroceſſit: non negligens inde crebrò Regem admonere de Coſacorum vi universâ magis magisq; indies ad exercitus Polonicos appropinquante.

Rex verò ex itinere Zuroviciam (locus in Lithvaniâ religione & miraculis celebris eſt) pietatis causâ ſuſcepto recens reverſus, nunc verò brevi aleam belli impendentis ingreſſurus, ſolicitâ ad eam curâ accingebatur. Militem autoratum in caſtra properare jubebat; quæ Potocius magnus Exercituum Dux primò ad Vlodomiriam, mox ad Sokalum locaverat, illuc undiq; ſigna colligens: ibi etiam Regem

Anno M. Ioc. LI. menſe A-prili Rex ad bellum egreditur.

præſtolaturus. Hic vero acceptis x. Aprilis ſollẽni ritu ab Innocentij X. Pont. Rom. Nuncio fauſtis Pontificis illiꝰ comprecationibus & ſimul donis, Gladio pileoq́; ab Vrbe miſſis, triduo poſt Varſaviâ Lublinum verſus egreſſus eſt; multis Senatoribus comitantibus. Et eâ in Vrbe, ordinatione rerum, tum inprimis etiam religioſis operibus aliquantum temporis inſumptum. Spatium quoq́; datũ eſt, ut ad ſummum caput ſuum Proceres alij confluere poſſent, futuri huius expeditionis comites. Eòdem quotidianę propè literę de hoſtis in Podoliam ingreſſu, validisq́; ei identidem accedentibus auxilijs afferebantur. Conjunctionis etiam inter Imperatorem Turcicum & Chmelnicium ſacramentum, commeantibus ultrò citròq́; nuncijs magis

ma-

magisq; affirmari, undiq; atq; ab ipſius Imperatoris Germanici Oratore, Conſtantinopoli agente, nunciabatur. Eò minus morandum Rex putavit, quin univerſam Poloniæ Nobilitatem edictione poſtremâ (nam jam binæ præceſſerant) evocaret.

Calinovius interim Dux Campeſtris, & Lanckoronius Palatinus Braclavienſis modico illo novem millium exercitu, cujus numerum Podolica Nobilitas aliquantùm auxit, egregiâ virtute hoſtem detinuerant hactenus: ita rem ſemper moderati, ut nec militem hunc, præcipuum ſcilicet patriæ finium cuſtodem periculo temerè objicerent, nec Chmelnicium tamen ſinerent ſecurum graſſari. Hic verò obicem talem ægerrimè ferens, & florem hîc ipſum militiæ Polonicæ eſſe

non

non neſcius, veſtigabat enixè, quà deprehenſum intercipere poſſet: etiam ſic magnum rebus ſuis momentum ſe additurum ſperans, ſi impediret ſaltem, ne is cum cætero Polonorum exercitu conjungere ſe poſſet. Facilius cum ſingulis ſibi fore negotium; & oppreſſo vel circumvento uno exercitu vires Reipubl: longè minores, ſuas famâ ipsâ terribiliores fore. Interim autem *Baro* Cameneciam Regij conceſſerant; quam cum præſidio, quale præcipuo Poloniæ & Chriſtianitatis omnis propugnaculo neceſſarium videbatur, firmaſſet Calinovius Campiductor, monitus à Rege, ut retrò ad reliquum exercitum feſtinaret, paruit, & militem per infeſta undiq; itinera, & ſubinde pugnando, reduxit. Inſecuta hunc ſunt octodecim Coſacorum millia, duo Tarta-

Tartarorum. Quæ remanſit multitudo, ingens ſanè, (ſeptuaginta millium, ut nonnulli perhibent,) aggredi Urbem ſtatuit; deſolatam, opinor, abitu ſuorum, aut certè perculſam rata. Fortè & à loco adeò celebri, ſi res benè ceſſiſſet, Militiæ ſuæ eximiam felicitatis, ſin minus, generoſi auſûs ſaltem famam circumdare quærens. Etiam circum circa latè omnia populati manipuli: & Panovecenſem inprimis arcem proditione adepti, multam prædam aſportaverant. Inde tantò alacriores ad Urbem multis aſſultibus aditum ſibi moliebantur. Sed loci arduum, & oppugnatoribus adverſum ſitum, nec minus arcem defendentium virtutem experti, nihil uſquam efficere potuêre. In altero etiam aſſultu ita tùm à Germano peditatu & tormentis,

tùm à Præfecto Camecenſi Potocio, ſummi Ducis filio, qui trecentis ſuis comitatus ex urbe proruperat; excepti ſunt, ut cæſis non paucis reliqui retrogreſsi, ſexaginta currus prædâ Panovecenſi plenos, & plurimos Coſacorum Tartarorumq; obſeſsis reliquerint. Et reliqui inſultus haud parvâ illis clade ſteterunt: adeò ut poſteà Ductori ſuo vim propè inferrent, qui inſcio Chmelnicio, ad Urbem oppugnatu adeò difficilem, tantum militis prodigeret. Tartaros quoq; & ipſum Præfectum Perecopenſem neſcio quis ingratus nuncius vehementer iſtic, (ut poſteà ex captivis intellectum eſt,) perculerat, unde tramiſſo in omnes terrore, lubentisſimè auditum eſt Chmelnicij edictum, quo abire Cameneciâ jubebatur Coſacorum iſte exercitus. Neq; feli-

feliciùs res cedebat illis, (quorum ante mentio facta eſt,) perſecutoribus Regij exercitûs, Coſacis & Tartaris. Aſſultabant illi equidem ſæpisſimè, & propè asſiduò frontem, latera, tergum, carpere quęrebant: aliquo Regiorum, ſed majore plerumq; ſuorum damno. Non procul certè Zboroviâ, XIV. Maji, cum exercitū & pręcipuè Lęgionem Sobieſcij Pręfecti Craſnoſtavienſis, (filius eſt Jacobi Sobieſcij, Caſtellani olim Cracovienſis, celebris in Republ: viri,) adorti eſſent, insigni ſtrage affecti ſunt: captusquè iſtic inter cęteros Canoviensis Coſacorum Tribunus, & ex Tartaris Murſa quidam, eximio inter ſuos loco habitus, qui & ad Regem poſteà ductus, Varſavię in vinculis, liberalioribus tamen, tenetur. At majora ſubindè detrimenta paſſus eſſet hoſtis, niſi fa-

Digitized by Google

ſi fame aliquantum elangviſſet hic exercitus: quia inprimis etiam equi magnam partem ceciderant. Currus abjicere trajectuum difficultas juſſerat; unde equis, qui eos vexerant, lixę impoſiti fuêre, quò & expeditior ad iter eſſet, & hoſti numeroſior videretur exercitus. Tandem hic per tot & conflictus & calamitates eniſus, Majo jam adulto, ad caſtra majora, inſpectante Rege, & magnâ utrinq; ſe excipientium lęticiâ, pervenit. Vbi illi aliquot dierum quies ad reſpirandum conceſſa, ſubſidia item ad reparandum belli inſtrumentum, curâ inprimis ſupremi Regni theſaurarii Boguslai Comitis de Leſsno data ſunt.

Rex verò eadem illa caſtra apud Sokalum poſita XIV. Maij ingreſſus erat, magno procerum copiarumq; comi-

comitatu. Inſequebantur in horas turmæ cohorteſq; tum ſtipendijs Reipubl: autoratæ, tum aliæ â Senatoribus cæteriſq; Principibus Reipubl: viris coactæ. Tantum enim iſti ergà Regem & Rempubl: ſtudium hìc oſtendêre, ut quidā ſuo ære mille quingentos ſtipendiarios adduxerint: ac computatæ deniq; hæ honorariorum manûs decem millia militum efficerent. Sed porrò tùm etiā Nobiles, ſub Palatinatûs quiq; ſui ſignis, ſenſim confluebant. Inter alios Lublinenſem nobilitatem adduxerat Joannes de Michow Michovius, vir genere, doctrinâ, aliiſq; dotib⁹ conſpicuus. Sed paucis poſt adventum diebus febri ardente correptus, diem ſuū obijt. Allabentibus verò in dies undiq; legionibus, excreſcebāt copię Regis adeò, ut deniq; â centum milliū numerò haud longè ab-

eſſent: citra etiam Caſtrenſe famulitium, quod etſi numeroſum admodū, & ad arma ſatis habile, pugnacitatis etiam nō ſpernenda ſuperiori bello dederat ſpecimina, extra cenſum tamen militum ſolet haberi. Sed & Nobilitas Palatinatuum ac territoriorum aliquot remotiorum adhuc aberat: poſteaq; illa, ubi advenit, non ultra Sokalū progreſſa, longe citra belli aleam, non ſine invidia & convitio cæterorū, conſtitit. Cęterùm Rex à Deo ſibi capienda rerum exordia ratus, hoc ipſo in oppido non ad ſanctæ tantùm Virginis aram, quę iſtic in ſuburbano Bernardinorum cęnobio pręcelebris habetur, vota magno ardore ſuſcepit, ſed die Corpori Chriſti ſacrato, publicam & translatâ huc ab Urbe Româ Jubilęi ſolēnitate, opportuno exercitûs iſti⁹ ad religioſitatem & fortitudinem incita-

citamento, feſtam admodùm ſupplicationem inſtitui voluit. In quâ & Regia haſtatorum vexilla prçcedebant. Sacra myſteria, quç Andreas Leſcinius, Culmenſis & Pomeſaniç Antiſtes, idemq; Magnus Regni Cancellarius, geſtabat, & ſigna alia obviam lata, ubi ad Antiſtitem perventum erat, ejus ad pedes demittebantur, teſtandç ſubmiſſioni, quâ honori divino & gloriç Crucis arma ſua dicaſſet exercitus. His ritè perpetratis, exercitus mox omnis luſtratus eſt. Indè jam morç omnes abrumpendç videbantur, ne, quç in iſtâ vaſtitate copiarum jure metuebatur, commeatûs inopia ingrueret. Cui proin arcendç Rex multum intendit curç, diligenter ipſemet, quç res poſceret, imperans ordinansq;: inprimis & diſciplinç diligens cuſtos, cujus
defe-

defectu facilè mole ſuâ laboraturum exercitum videbat. Dabat pręterea operam, ut continuâ pręcurſorum operâ compertum haberet, quid ageret hoſtis. Deliberatio dein incidit: *numquid concitis omnibus viribus in hoſtem eundum eſſet: an, præmiſſo ſeorſim ſtipendiario milite, ipſe Rex hic cum Nobilitate neceſſitatem majorem opperiretur.* Et in multam noctem conſultatio extracta eſt, diu in diverſum euntibus ſuffragijs. Tandem tamen eorum ſententia evaluit, qui toto cum exercitu progrediundum contendebant; Regis ita & animo in bellum gloriamq́, ardenti, & non minùs rationibus obſequentes: quibus mora ad Sokalum, & diviſio exercitus acriter impugnabatur. Inprimis enim demonſtratum, *anguſtiorem iniquioremq́ hunc eſſe locum, quàm ut explicare in eo aciem ſuam Poloni poſſent: & ſi copias diſtraherent, per partes circumveniri & atteri poſſe, qui juncti non tueri ſe tantùm, ſed & vincere hoſtem valerent.* E-

tiam

tiam quòd per Glinianenſe territorium nonnulli exercitum ducendum putabant, diſplicebat cęteris, *quia ſic multùm à conſilio Regis diſcederetur, qui quàm breviſſimum ad hoſtem iter quæreret. Non rectiorem autem ſupereſſe viam, quàm quæ Bereſteciam duceret; & illud ad oppidum latiſſimos expandendæ aciei patere campos, ac paſcua victumq; faciliorem fore.* Ita iſtuc ire decretum eſt, ſed non ante, quàm reverſi exploratores noviſſimi de hoſte aliquid attuliſſent. Verùm paulò poſt allabebantur nuncij, cladem duarum turmarum ferentes: quarum una Leonis Cas. Sapiehæ Procancellarij Lithvaniæ; altera Firleji Palatinidæ Sendomirienſis erat. Eæ ſimùl exploratum miſſæ in ſeptingentorum, quà Tartarorum, quà Coſacorum manum inciderant: nimiâ ſecuritate ſuâ, ut prima fama tulerat, ſed veriùs, ut diligentior inquiſitio poſtea aperuit, multitudine hoſtium circum-

ventæ oppreſſæq́;. Nam diu & ſtrenuè ſatis ſe defenderant, adeò ut & non pauci nec inulti occumberent: alij graviter ſauciarentur: pars deniq; vincti „cæperant abduci. Sed ut mirè res „mortalium omnes verſat agitatq́; fortuna, ita bellorum vices intra breve momentum alternat. Hìc equidem quos viciſſe crederes, eadem mox horâ victos vidit. Revertebantur illi his ſpolijs ac lætitiâ geſtientes, cæterà ſecuri: cum Jaſnoburſcius, recens ob fidem ergà Regem & Rempubl: nobilitatus Coſacus, ipſo iſtius conflictûs ſtrepitu de hoſte admonitus, cum globo militum accurrit, & repentè in ſolutos noctu irruit: eâ virtute ſucceſſuq́;, ut univerſam hanc manum disjiceret, vinctos Polonos milites liberaret, complures Coſaços, nec non Tartarum

Septingẽtos Tartaros & Coſ. fundit Iaſnoburſcius.

tarum Cercasſienſem ſaucium & jam lingvæ impotem, equorum porrò, boum, atq; argenti etiam (apparet enim à templis aut domibus nobilium direptis recentes fuiſſe) non modicam vim ſecum auferret. Sed & alibi tùm improſperè res ceſsêre Coſacis. Olykam enim Alberti Radzivillij Principis, Lithvaniæ Cancellarij benè cultum & inprimis templo ſplendidisſimo nitens oppidum, antecurſor Coſacorum exercitus, Ductore Bohuno, multis millibus oppugnare cæperat. Sed cum oppidani fortiter & multâ cum ſtrage hoſtis ſe tuerentur, in loca circumjecta is iram vertit, & violento impetu omnia pervagatus, multâ cum præda revertebatur ad Chmielnicium. Dum verò in itinere eſſet, incidit in manus Alexandri Coniecpolſcij Vexil-

Olyka defenſa contra Coſacos.

S 2 liferi

liferi Regni, qui cum mille ſelectis excurrere juſſus, his, quà viſum, diſtributis dimiſsiſq; , non uno loco vagas illas Coſacorum cohortes fudit, & luculentisſimam prædam in caſtra reportavit.

Rex movet caſtra verſʒ Bereſteciam.

Rex decimâ quintâ Junij movit caſtra, & Bereſteciam versùs (præmiſſo illuc eodem Coniecpolſcio Vexillifero) exercitum traducere cæpit: non ſine multâ ſolicitudine ſuâ, cum & difficili per loca uliginoſa atq; aſpera itinere dislocari nimis copias;& ingentem illam curruum multitudinem, intempeſtivo ſe mutuò anticipare conantium ambitu, implicatiùs procedere videret. Itaq; ubi unius diei labore periculoq; in planiora eluctatus eſſet exercitus, dividere eum in decem grandes quaſi legiones viſum eſt. Prima Regia erat, quam

Digitized by Google

quam ſtipendiariȩ, & his junctȩ, quas liberalitas Procerum adduxerat, cohortes ad duodecim millia militum extenderant. Alteri Nicolaus Potocius Caſtellanus Cracovienſis ſummus exercituum Regni Dux prȩerat. Tertiam ducebat Martinus Calinovius Palatinus Czerniehovienſis, Campiductor. Quartam Ioannes Simon Szcavinſcius Palatinus Breſtenſis. Quintam Jeremias Michael Dux Viſnovecius Rusſiæ Palatinus. Sextam Stanislaus Potocius Palatinus Podoliȩ. Septimam Georgius Lubomierſcius Regni Mareſchalcus ſupremus. Octavam Stanislaus Lanckoronſcius Palatinus Braclavienſis. Nonam Leo Caſimirus Sapieha Pro-cancellarius Lithvaniæ. Decimam Alexander Coniecpolſcius Regni Vexillifer. Huic ex-

ercitûs ordinationi Rex ipſemet ſex minimùm horas inter flagrantisſimi ſolis æſtus impendit. Poſtero die Vygnankam pervèntum eſt, locum aquis paſcuisq; uberem. Iſtic ex transfugâ cognitum, Chmelnicium ex caſtris ſuis, quæ inter Zbarazium & Viſnoveciam oppida habebat, cum aliquot millibus ſuorum obviam iviſſe Chano, quem uti pridem accuratisſimis precibus & amplis pollicitationibus ad belli ſocietatem invitaverat, ita jam dudum enixè & deſiderio maximo erat præſtolatus: quippe ſuis non ſatis fidens viribus, cùm Coſacorum equidem agreſtiumq; ingentem multitudinem, at Tartarici equitatûs vix ſex millia ſecum hactenus haberet. Rex cum exercitu Bereſteciam pergit, quod Prunſciorum olim Ducum, nunc Vladislai
Comi-
Digitized by Google

Comitis de Leſzno Succamerarii Breſtenſis oppidum eſt. Id cum Styr⁹ amnis undiq; circumluat, aliquot diebus in trajectu fluminis laboratum eſt. Ubi trajecerat exercitus, caſtra non procul oppido & ripâ fluminis locata ſunt: mox & Viri inſignes Stempkovius ac Czarnecius Signifer Sendomirienſis ſimulq; Caſtrenſis Judex, cum tribus ampli⁹ millibus expeditorum militum miſſi ſunt, ſpeculatum, quid hoſtis ageret. Qui non multo poſt remittunt ex ſuis aliquos, nunciatum, *veniſſe cum exercitu Scythico Chanum, & junctis cum Chmelnicio copijs præmittere jam ſubinde aliquos, explorandis Regiorum rebus.* Fidem nuncijs iſtis majorem mox ipſi illi aſtruunt, reverſi ad Regem & non paucos captivos ſecum ducentes. Rex habito cum proceribus conſilio Bereſteciâ Dubnam (oppidum eſt Dominici Du-

Rex progredi versùs Dubnam, parat.

cis

cis Zaslaviæ, Palatini Cracovienſis) pergere ſtatuit, & jam currus cæperant præmitti, exercitu omni pariter ad iter hoſtem contrà & ſi quid amplius fors dediſſet, jam accincto: cum Viſnovecius Dux, qui in excubijs tum ſtabat, ſignificat Regi, Chmelnicium ire vi totâ ſuâ adverſum Polonos. Dubitatum aliquantùm, an præſtolari adhuc expediat alios de hoſte nuncios; quod Regi non ſine numinis inſtinctu placitum, Potocius ſummus Dux exercituum acerrimè inſuper ſvadebat, *publicè unius ſibi diei moram dari* poſtulans. Nempè is trajectûs, qui progreſſuris ſuperandus erat, difficultatem verebatur, ab agreſti quodam monit⁹, eo potiſſimum in loco proſperum ſibi aliquid promittere hoſtem. Stetit comperendinandi itineris conſilium, & nequicquam re-
cla-

clamantibus nonnullis, edictum, currus uti reverterentur, qui præceſſerant. Vix iſti redierant, cùm nuncius nuncium urget, memorantium Chanum & Coſacorum univerſam potentiam Pereatinum tendere, locum vix duobus ſtadijs Bereſteciâ diſtantem. Illicò in procinctu equi militesq; haberi jubentur, ne ad pabulationes quidem permiſſo ê caſtris exitu. Sed petulans famulorum licentia in tanta multitudine nullis quandoq; ſancitis cohiberi poteſt. Cæterùm qui caſtrorum limites egredi auſi fuerant, pænas, quas legibus debebant, hoſti pependerunt; quando unà cum equis & curribus, à præcurſoribus Tartaris, præter opinionem ſuggresſis, properè abrepti ſunt. Interim autem Rex, & exercituum Ductores in acie occupabantur inſtruē-

Digitized by Google

dâ: eductusq; ê caſtris exercitus ita diſponebatur, ut exporrectis ad milliare propè unum Ordinibus; unâ parte Stirum amnem pro munimento haberet. Quà ſylva adjacebat, pedites locabantur, inſidijs arcendis. Inter hæc dies in veſperam vergere cæperat, cum ſelecti Tartarorum, decies mille numero, antecurſores in conſpectum Regiorum proſiliunt, adeò propè ſuccedentes, ut omninò provocare hos viderentur. Tum Alex: Coniecpolſcius Regni Vexillifer ferociam inſultantis quaſi hoſtis malè ferens, orat Potocium Exercituum Ducem, ſibi ut cum legione ſuâ ire in hos audaculos liceret. Potocius, laudato egregio impetu, facit ei copiam pugnandi, ſimulq; in ſubſidium Georgium Lubomierſcium Mareſchallum Regni cum legione ejus adjun-

Prima velitatio cum Tartaris.

jungit. Ibant bina primarij & propinqui inter ſe ſangvinis capita, magnorum patriæ olim bellatorum non degeneres filij: Ibant ſummè alacres & ſuam quisq; manum ducentes in Tartaricas illas præcurſorum copias. Quæ iſtos in arenam progredientes conſpicatæ, magno impetu & truci fremitu effunduntur in ſubeuntes. Occurrit ruentibus Coniecpolſcius, ſua ipſe ſigna modico ſpatio præcurrens, & Dux idem atq; miles inter confertisſima hoſtium agmina, ſuis ipſum prævium paſſu alacri ſequentibus, ſtrenuè præliatur. Pugnantibus animosè ſubvenit Lubomierſcius cum ſuis: pugnatur ferro cominùs, parte utrâq;, in hoc Martis & fortunæ quaſi prætentamento, ſpecimen virtutis & felix futurorum præludium dare conante. Sed præ-

 valu-

valuit Polonus, & ſolvi in fugam Tartarus cæpit. Interim verò ſex inſuper vexilla legionis Wiſnovecianæ ſuis jam vincentibus in auxilium adcurrunt. Eò major in hoſte trepidatio & intenſior fuga. Inſtitêre mox junctim omnes præcipitantibus, & ad ſeſquimilliare uſq; cædendo inſecuti ſunt. Non pauci tum capiebantur Tartari, etiam ex primarijs. Ex quibus cognitum eſt, Chanum Leſnowiæ, oppido Coniecpolſciano paucis paſſuum millibus à Bereſteciâ diſtante, agere. Eum ad pacem cum Rege renovandam inclinatum, Chmelnicij diſſvaſu & precibus inde dimotum; ſicq; eum tandem, repulſis pacis conſilijs, in iter intentum Regis exercitum, quem etiam nonniſi viginti ſummùm millium eſſe crederet, aſſultando, circa proximum inprimis trajectum, inceſſere auſum fuiſſe. His

His primordijs ſucceſsit die ſequenti (qui erat Petro & Paulo Apoſtolis ſacer) major & atrocior labor. Etenim tum Chanus ipſe, cum omni exercitu ſuo jam præſens, in proximis collibus alas explicabat; ijsq; comites ibant ſelectiſsimæ quæq; Coſacorum cohortes. Rex ſuam pariter aciem curatè inſtruit, Andrea ſimul Leſcinio Culmēſi Pomeſaniæq; Epiſcopo & eodē M. Cancellario obequitante, & bonis ominibus precibusq; animos militi addente. Stabat jam in omnia paratus miles, ſed, dubijs adhuc conſilijs viribusq; hoſtis, non eſt viſum progredi totâ acie in certamen. Eques præcipuè eductus in campum eſt. Et præter alas nonnullas, quæ paulò poſt nominabuntur, longius à caſtris ſuis, hoſtem contra, proceſsêre turmæ cohorteſq; Joannis

Digitized by Google

Sczavinſcij Palatini Breſtenſis, Ludovici Veiheri Palatini Pomeraniæ, Ducis Boguslai Radzivillij, Joannis Sapiehæ Palatini Vitepſcenſis, terræ item Premyslienſis, & Volinienſis Palatinatûs equites, quos Michael Dux Czartoricenſis ducebat. Hoſtis, ſeu prioris diei dedecus eluere qværens, ſeu eqvitatum, qvem pauci pedites fulcirent, minus formidans, denſis cuneis in Regios procurrit: Chano ipſo eminùs & longè extra teli jactum, tubo optico exercitûs Poloni improviſam ipſi magnitudinem & pugnæ auſpicia ſpeculante. Primum irruentium impetum Stanislaus Lanckoronius excipit, Sed illi multitudine circumfuſo, impigrè tamen, etſi non ſine damno ſuorum, inter quos & frater ipſius Sigismundus occubuit, luctanti, ſubvenit promptè, & nil quicquam

quam tardante ſenectâ (propè enim ſeptuagenarius erat) Stanislaus Potocius Palatinus Podoliȩ. Etiam Palatinatus Sendomirienſis ſat ſtrenuam hîc operam navabat, ſed cum nec dum perrumpendȩ hoſtilis potentiȩ moli ſufficeret, medio ab exercitu legiones Potocij magni Ducis, Calinovij item Campiductoris, Wiſnovecij Palatini Ruſsiȩ, Lubomierſcij Mareſchalci Magni, permiſſȩ ſunt in hoſtem. Tum verò recaleſcere prȩlium, & miſceri ita inter ſe turmȩ, ut Poloni ab alteris dignoſci non poſſent: ſignis utrinq; ſe mutuò prȩtereuntibus. Alicubi longiùs provecta legio Potocii Ducis circumveniri ac laborare cȩperat: itaq; in auxilium fatiſcentibus, prȩter Lubomierſcianas alas, Sapiehȩ Lithvaniȩ Procancellarii legio ſubvenit. Sic iterum

rum utrâq; ex parte & certatur fortiter & magna ſtrages editur. Cadunt primariorum etiam virorum plurimi. Ex Regijs quidem Joannes Cazanovius Caſtellanus Halicienſis, Georgius Oſſolinſcius Præfectus Lublinenſis, defuncti nuper clariſſimi Cancellarij fratre genitus, Stadnicius Succamerarius Sanocenſis, Ligęza Premislienſis Enſifer, Jordanus Centurio equeſtris, Rzeczycius, plurimi ê nobilitate Lencicienſi, & alii, in univerſum plus minus trecenti. Vulnerati item multi: inter alios Franciſcus Dubravius Succamerarius Premislienſis: & unâ ex legione Lubomierſcii Mareſchalci triginta turmales milites. Sed pulſus tamen campo & copioſo ſuorum fuſo ſangvine, hoſtis eſt. Mille enim circiter hîc oppetiêre. Capti item aliquot inſi-

Digitized by Google

inſignes atq; ê primoribus ipſis Tartari, nec non intimus Chani ſcriba. Sed minimè tamen ſatis . penſata eſt egregiorum, qui ê nobilitate occubuerunt, virorum ſtrages: & ut penes Regios eo die victoria manſiſſe videretur, neutra tamen pars de felice ſucceſſu, utraq; de virtute gloriari potuit.

Præcipite jam die, cum habito conſilio, omnis ulterior mora hoſti magis, quàm Regijs utilis eſſe videretur, prælium in lucem ſequentem Rex decernit, univerſo exercitu educto fortunam belli, cum Bono Deo, experturus. Itaq; Duces imperant Tribunis & Ordinum Ductoribus, in mediam noctem paratos uti habeant ſuos. Rex ipſe, vix quicquam quieti gratificatus temporis, ad ſacra convertitur, ut ad ſummę rei auſpicia Numen ſibi pro-

pitiaret. Sine quo ſcilicet nihil ritè procedit mortalibus. Interea undiq; legiones alæq; confluunt, Regia imperia præſtolantes. Is autem ipſe circumiens, egregiâ dexteritate, comitantibus pręcipuis adminiſtris, ordinat aciem. Quæ res ut clam hoſte fieri poſſet, juvit nebula, ut quidam credidêre, incantamentis ab illo excitata: quæ ad
Acies Regia. nonam penè horam usq;, diem fuſcans, noctem quaſi continuabat. Aciei autem hæc erat ſeries. Dextrum cornu, poſt Potocium Caſtellanum Cracovienſem eundemq; Ducem exercituum, cui omnem porrò, quantum per corporis imbecillitatem liceret, aciem obire, &, quà opus erat, imperia dividere incumbebat, tuebantur Stanislaus Lanckoronſcius Palat. Braclavienſis, Chriſtophorus Opalinſcius Palat.

Digitized by Google

Palat: Poſnaniæ, Georgius Lubomierſcius Comes de Visnic, ſupremus Regni Mareſchalcus, Leo Caſimirus Sapieha Procancellarius Lithvaniæ, Alexander Coniecpolſcius Regni Vexillifer, Vladislaus Comes de Leſzno Succamerarius Poſnanienſis, cui alas velitum honorariorum Rex commiſerat; bini deniq; Sobieſcij, defuncti Caſtellani Cracovienſis filij; alijq; nonnulli Proceres: qui pleriq; omnes, non paucis ſuo ære autoratis manipulis aciem Regiam auxêre. Siniſtrum Cornu regendum committebatur Martino Calinovio Palatino Czernihovienſi, Campeſtri exercituum Duci, cui additi ſunt, Dominicus Dux Oſtrogiæ & Zaslaviæ, Palat: Cracovienſis, Joannes Sczavinſcius Palatinus Breſtenſis, Ieremias Michael Dux Viſniovecius Pala-

tinus Rusſiæ, cum binis alijs ejusdem ſangvinis Ducibus, Stanislaus Potocius Palatinus Podoliæ, Joannes Zamoſcius Præfectus Calusſienſis, Henricus Dönhofius equitum deſultoriorum Tribunus, alijq; . Ex his pariter aliqui privatas ſuas cohortes, nec modicas, addiderant publicis. Vtramq; alam prȩibant tormenta: & omni ex parte velitum, equitumque deſultoriorum circumlocatæ turmæ erant, gravioris armaturæ equitatu medium tenente. Aliæ deinde magno numero & variè armatæ ſequebantur turmæ, ê Nobilitate in Palatinatûs tributâ, ſuppetijs ferendis deſtinatæ. Medium aciei totius (quod *Corpus* vulgò appellant) Rex ipſe curandum ſuſcepit. Ejus ut diverſi ordines, ita principijs frontiq; protegendæ tormenta præpoſita erant, regimen

gimen iſtorum tenente inſigni bellatore Sigismundo Przyemſcio, univerſæ Tormentariæ rei per Poloniæ regnum præfecto, & ſimul Notario Campeſtri. In Fronte ipsâ conſtitutus erat ſecundùm tormenta incedens peditatus, tegentibus extrema ejus latera turmis equeſtribus. Siniſtrum tuebantur equites Jacobi Veiheri Palatini Mariæburgenſis, quos Schafgotzius ex Sileſiæ Magnatibus regebat. Proxima his, ſed ſpatio interpoſito, erat legio peditum Chriſtophori Hubaldi, in expeditionibus Germanicis excubiarum Præfecti Generalis dignitatem adepti, his verò noviſſimis Poloniæ bellis inter proximos meritiſſimosq; Regis adminiſtros. Juxta Hubaldianos pedites ſtabat agmine tripartito Cuſtodum Regij corporis phalanx, mille octin-

gentorum capitum, regente eam Fromoldo Volfio Tribuno. Eodem in ordine poſt modicum intervallum viſebantur duo valida agmina Boguslai Radzivillii principis, Magni Duc. Lithv. ſtabulo, & ſimul nunc cohortibus Prętorijs univerſis pręfecti. Horum demum, totiusq; adeò primi Ordinis latus dextrum claudebant equites Joannis Dönhofii Tribuni. Alter aciei iſtius ordo in ſubſidium primi deſignatus ex equitatu conſtabat totus. Siniſtrum ejus latus â Veiherianis ſimiliter, & Joannis-Diterici Meidelij Tribuni, dextrum â Radzivillianis, & ejusdem, qui paulò ante nominatus, Dönhofij turmis equeſtribus protegebatur. Mediũ autem hunc ordinem tenebat Rex, cui proximè adſtabat turma Aulica quingentorum Polonorum Equitum, illuſtrium

ferè

ferè genere & fortunâ. His poſt Regem præerat Caſimirus Tyskewicius Mag. Ducatûs Lithvaniæ Pocillator. Erat autem ea manus in duas diviſa cohortes: quarum alteram Sigismundus Vbysſius Vexillifer Dobrinenſis, alteram Joannes Veſſelus Præfectus Oſtrovienſis, titulo Optionum ſeu Vice-Tribunorum, ducebant. Primæ cohortis ſignum ferebat Iacobus Michalovius Tribunus (vulgò *Woyski*) Lublinenſis: Alterius, Alexander Iendrzejovius. Iuxta Regiam hanc turmam parte ex utrâq; poſiti erant Germani Equites, quos Sereniſſ: Elector Brandeburgicus, ex lege feudi Prusſici, ductore Valrodô, miſerat, quibus, Regio juſſu, aliquę ex Polonicis honorarię manus adjunctę fuêre. Tertij ordinis oram ſiniſtram Meideliani, dextram Sigiſm:
Dön-

Dönhofij Pręfecti Sokalenſis equites defendebant. In medio ejus ordinis Andreę Grudzinſcij Caſtellani Naclenſis, & Hyacinthi Rozrazevij conſtiterant cohortes, quas hinc Staniſl: Coniecpolſcij & Duplesſij, illinc ſexcenti circiter pedites Sereniſſ: Principis Caroli, fratris Regij, Ductore Creutzio Tribuno, cingebant. Aciei univerſæ extrema tenebant magno numero & ingentibus ſpatijs circumfuſa Polonicæ Nobilitatis vexilla. Hinc modico intervallo diſtabant Caſtra, vallis operibusq; ſubitarijs dudum circumſepta, ab aliâ parte, amne & oppido, nunc inſuper relicto præſidiario pedite, quantum tanto anteſtante exercitu neceſſarium videbatur, undiq; munita. In ijs verò Sariſſæ, (*vulgò Kopjie*) quas progreſſuri in aciem equites haſtati, Rege

Rege ſic volente, hîc defixerant, longè eminebant: mirifico ſpectaculo eminus intuentium, cum ad cuſpides ſingularum ex rutilante ſerico bipatentia ſed parva vexilla, aurâ motante, luderent: ignaris haud dubiè ſimul illudentes, ut milites ibi ſtare, ubi haſtæ hæ coruſcabant, arbitrantibus major atq; extenſior, quàm eſſet, Regius videretur exercitus. Poſtquam ita ordinata acies, & obeuntis undiquaq; Leſcinij Epiſcopi ac Cancellarij Magni fauſtâ prece animatus miles eſſet, nebula quoq; interim decumbere cæperat, & mox velut levato ſipario Sol adſplendeſcens exercitum latisſimis ſpatijs, ac pulcherrimo ordine diſpoſitum contemplantium omnium, hoſtium etiam ad rem inexpectatam ſtupentium obtutui inferebat. Horum

Digitized by Google

copiæ vaſtisſimæ & minimùm trecentorum quinquaginta millium erant: adeò ut ſolo ſelectiore milite milliaris Ruthenici, quod Germanico majus eſt, ſpatium implerent. Et Tartarorum quidem alæ eò conſpectiores Regijs erant, quod magnâ ſui parte montem leni jugo latè ſe exporrigentem, collesq́; vicinos lunato quodammodo flexu occupaverant. Inde ad Coſacorum usq́; phalanges extendebantur, quæ dextrum Tartarorum latus claudentes, rectis penè frontibus ſiniſtræ Regiorum alæ, ordinante Chmelnicio, oppoſitę erant. Intermixtę & his Tartarorum ibant turmę, agendis, quę Equitatûs impetu & celeritate agi conſvevêrunt. Hâc parte etiam Carrago conſtiterat, connexum ex curruum multiplici ordine objectamen-

mentum adverſus ſubitam vim, & validisſimis etiam incurſibus ſuffecturum. Cæterùm, hoſtis ubi Regiorum longè latèq; fulgentes ordines turmasq; conſpexiſſet, reſtitans, ad ipſam uſq; meridiem cunctabatur aciem aggredi, ſed Polonorum in campum interjacentem procurſiones expectabat provocabatq;. Cognitum etiam poſtea eſt, nondum eo die prœlij fortunam, ſed nocturnâ invaſione caſtra Polonorum, quà parte ea maximè infirma judicaverat, tentare voluiſſe. Attamen ſubinde aliquæ Tartarorum turmæ advolabant, velitationibus diem hunc deterere cupientes. Sed Rex pœnâ capitis ſanxerat, nequisquam ſuorum acie injuſſus proſiliret. Pontes oppidi qui retrò in Poloniam ſpectabant, ſolvi idem iuſſit, ne qui hoſtium, flumine alicubi

Digitized by Google

traiecto, â tergo turbarent. Simul verò etiam ſic, qui ex Regijs interclusā retrò viam noſſent, neceſsitate ipsâ ad dimicandi virtutem magis accendebantur. Interim autem machinę bellicę, dexterrimè rem moderante Sigismundo Przyemſcio, creberrimis ictibus in hoſtem detonabant. Et ut propiorem ille vim ſentiret, paulatim machinæ adversùm juga, quæ ſpisſis agminibus Tartari latè obtinuerant, equis trahentibus promovebantur: Regiâ acie continuò, ſed pedetentim, inſequente. Dextra ala in ſylvam potisſimùm oculos & arma intenderat, quod in eâ non exiguæ hoſtium catervæ recondidiſſe ſe cernebantur, terga Regiorum quærentes invadere. Unde adeò illa, inſidiarum metum cauſantibus iis, qui hìc rem curabant, aciem mediam, latere ſic uno
hoſti-

hoſtilium incurſuum periculo diutiuſculè patentem, tardiùs ſubſequebatur, cæteris moram iſtam, cujus cauſam aut neſciebant, aut non acceptabant, iniquè admodum ferentibus. Jam ultra medium ſui proceſſerat dies, & quod ejus reliquum erat, juſto prælio haud videbatur ſuffecturum. Inde adeò erant, qui in lucem ſequentem rejiciendum putabant conflictum: ventum ſimul cauſantes, qui hoſti ſecundus, Regijs videbatur noxam daturus. Sed contrà alij, & numero potiores, verebantur, ne noctis interpoſitæ ſpatio uſus hoſtis, Carragine, quam validisſimam inſtruxerat, in Regios invectâ, campum explicandis ordinibus, & conflictui neceſſarium eriperet. Acerrimè omnium Jeremias Viſnovecius Dux per Sigiſmundum Dönhofium

 Præ-

Præfectum Sokalenſem moram omnem diſſvadebat, ac faciendi inſuper primi incursûs copiam ſibi â Rege poſtulabat. Rex itaq; ardore ſuorum utendum ratus, ſecundâ circiter poſt meridiem horâ, ſiniſtro ex cornu cieri prælium jubet. Tum primus omnium idem Viſnovecius brevi ſed animosâ oratione ſuos allocutus, duodecim Veterani militis cohortes ipſe prævius in hoſtem invehit. Quem Stanislaus Potocius Palatinus Podoliæ, & mox Cracovienſis, Sendomirienſis, Premislienſis, Lencicienſis Palatinatuum, terræ item Velunenſis & Orlovienſis territorij nobilitas ſeqvuntur. Animosè viciſſim hoſtis occurrebat irruentibus, & ut multitudine ſuperior erat, ita virtute præliandi diu minimè cedebat. Denſa agminum hoſtilium nubes, tum fumi

fumi & pulveris ſublati volumina ad horam penè integram conſpectui ſuorum eripuerant Regios, ſolo propè clamore pugnantium, tum tormentorum bombardarumq́; minorum ſonitu fulgoreq́; findente caliginem illam. Et jam erant qui de reditu iſtorum ad ſuos cæperant deſperare. Uti ſanè non æqua illis initiò fortuna fuit. Urgebant cominùs pugnando urgebanturve vicisſim. Et tandem â prægravante multitudine fatigatæ turmæ quędam cæperant labaſcere. Sed hortatu exemploq́; cæterorum, qui, prout, in iſtâ ambigentis quaſi Fortunæ cunctatione res exigeret, cedentes redeunteſq́; in victoriam nitebantur; tum ſubmiſſo à Rege auxilio firmatæ, reſumpsêre ſpiritus vireſq́;. Ita novo impetu inſtauratum prælium, magnoq́; omni-

omnium conniſu impulſa deniq; hoſtilis acies, & Coſacus in Caſtra ſua Carragine munita, Tartarus, qui in hoc cornu Coſacis junctus pugnaverat, in cacumen montis redactus eſt. Victoribus Scytham fugientem longè perſequi non licuit, ne Coſaco interim ê Carragine ad nova rurſus tentamina aperiretur campus. Huic itaq; premendo viſum potius eſt inſiſtere. At interea Rex in Tartarorum cuneos, quà denſiſſimi erant, mediam aciem invexerat. Quam cum hoſtis ille non uno incurſu initiò tentaſſet, male ſemper exceptus non ſuſtinuerat dehinc ampli⁹ aggredi. Interim autem proceſſerat illa, machinas, quæ in fronte poſitæ, directore Przyemſcio, continuò promovebantur, & plurimam ſubinde ſtragem, latioremq; ſtrage formidinem in hoſte dabant,

bant, ſecuta. Ille ſubeuntes & impetu & magis barbaro fremitu conatus eſt abſterrere. Sed nihil hunc moratus contendit in jugum miles, præeuntibus ſtrenuè, quæ in fronte conſtiterant, legionibus; Regeq; ipſo præſentiâ ſuâ ac voce acriter omnes animante. Qui hîc, dum, quæ uſus poſceret, ſui ſecurus ſatagit, magno vitæ periculo ſingularem pro ſe excubantem Numinis curam expertus eſt. Cognoverat aliquà hoſtis, ubi Rex ſtaret. In hoc igitur belli & fortunæ ſuorum ſummum caput vertenda tela & ſolicitandum ſtatuit fatum. Cumq; tormenta aliquà ad oram ſylvæ locata haberet, horum duo in turmam Regi propinquam ita collineaverat, ut quatuor pilæ tormentariæ partim prætervolantes, circa ipſum Caput Regium ſibila-

 rent,

rent, partim non procul Rege humum delapſæ, ungulas equorum atq; etiam Regij prope ſtringerent. Ille diſcrimine ſuo & precibus proximorum procerum ne hactenus quidem tum moveri ſe paſſus eſt, ut locum mutaret. Non eadem mens fortunave Chani Tartarorum fuit. Nam cum Otvinovius Turcici Tartariciq; ſermonis apud Regem interpres, vexillum magnitudine & colore albo apud hoſtem eminens conſpicatus, Chanum iſtic ipſum ſtare affirmaret, exploſa Rege jubente machina, inſignem Chano adſtantem Tartarum equo dejecit; ipſum verò Chanum ita attonuit, ut mutato mox equo excedere moliretur campo. Tum verò multitudo omnis, jam ante ab urgentib⁹ Regiis mõte depulſa, tanto majore ortâ conſternatione laxare ordines & in fugam curſu
pro-

properantisſimo effundi, Chano ipſo cæteros præeunte Qui & ſecuriorem ſibi fugam reddere quęrens, expeditiores aliquot alas ſubſiſtere jusſit, ut morarentur inſecuturos Polonos, dum ipſe ſe longius à periculo abſtuliſſet. Sed & iſtę non magno negotio disjectę ſunt ab ijs, quibus dextro in cornu poſitis non tam pugnandi, quam pugnę reliquum conſummandi copia dabatur. Unde etiam nonnullorum ex iſtis querelę auditę, indignantium jam, in glorię partem nonniſi ſerò ſe veniſſe. Perſecuti tamen ſunt, quibus id datum negotium fuit, Tartaros fugientes ad ſesquimilliare, ita ut non pauci iſtorum partim caderent, partim caperentur. Cęteros nox interveniens & ſua celeritas, quâ iſta gens facilè omnes alias anteit, eripuit. Fugientes projecere, quicquid moram

Digitized by Google

dabat. Vnde paſſim in viâ equorum boumq; magna vis obvenit Regijs: veſtes, ſaucii, cæſorum cadavera, quæ alioquin auferre ſecum & cremare poſtea ſolent, ephippia, acinaces, currus reperti paſſim plurimi: ipſius deniq; Chani tentorium, inſigne, tympanum, vehiculum, aliaq; utenſilia Regni Vexillifero, qui inter primos hoſtem perſecutus erat, ceſsêre. Liberati tum etiam non pauci captivi, quanquam hoſtis plures, cum auferre ſecum non poſſet, truncârat. Sortem eandem meruerunt, qui hoc ipſo prę-lio â Regijs capti ſunt; ſed vivi apud Duces exercitûs, proceres item quosdam, Regem deniq; ipſum ſervantur. Et ita quidem Tartarus, qui Chmelnicio omnis fortunę autor, & rebellionis maximum huc usq; columen, omni robo-
Digitized by Google

robore ſuo Poloniam aliquoties laceſſiverat; iſtum porrò in campum non ſuas tantum vires, ſed conſentiente aulâ Ottomanicâ, Dobrucenſes, Siliſtrienſes, aliasq; Turcarum cohortes, ſex millium minimùm, ſecum duxerat, prælio victus, effuſiſſimo curſu abijt: adeò ut eo die, quanquam in noctem jam labente, quinq; milliaria ſummâ trepidatione emenſum, captivi poſtea narrârint.

Coſacorum aciem uti in caſtra ſua rejecerant; ita iſtuc per eadem veſtigia inſequebantur Poloni; Rege, poſtquam juſtam manum ad perſequendos Tartaros miſiſſet, reliquum exercitum, integris ordinibus, admovente Carragini hoſtili. Cæterùm Chmelnicium alij initio ſtatim prælij ad Chanum ſe contuliſſe ferunt: Alij memorant, ubi laborare ſuam Tartarorũq; aciem viderit,

rit, properato curſu inſecutum, retrahere Chanum ad reſtaurandam communem fortunam ſtuduiſſe: haudquaquam tamen auditum, ſed acerbè potiùs, & non convitijs tantùm, verùm & vinculis propè exceptum: ingeminante ſubinde Barbaro; deceptum ſe ab illo, qui longè numero & viribus invalidiorem Polonorum exercitum eſſe toties dejeraſſet. Minatum etiam homini, ſe ipſum ad Regem miſſurum in Murzarum redimendorum pretium. Pateretur illic, quæ in Tartaros æquè ac Polonos perfidus meruiſſet. Quicquid ſit, non ante dimiſſus â Chano Chmelnicius eſt, quàm is literis Czeherinum (quę ſedes ei pacificatione ſuperiori, Regio indultu contigerat) miſsis, non modicam pecuniæ ſummam & ſpoliorum ante è Poloniâ

loniâ ablatorum magnam partem ipſi dari juſſiſſet.

Hinc properatis itineribus in extrema Ruſſiæ tendebat Chanus. Ubi autem ſat longo â Polonis intervallo tutum ſe ſentiebat, ſcripſit Epiſtolam ad Regem, ubi *cladem ſuam loci iniquitati imputat, per quam ſcilicet explicare alas ſuas, & quò intenderit, circumdare Polonos non potuerit. Alibi in Vkrainâ æquiores ſibi fore campos, ſi eo ſequi Tartaros collibitum fuerit Nobilitati.* Ita barbarus, cum procul ab ictu eſſet, dedecus ſuum audaciâ verborum conabatur eluere. Revera enim de iterandâ pugnâ non cogitabat, cum magnâ feſtinatione ad terræ ſuæ latibula contenderet. Cæterùm ut ad Coſacos redeam, ab his Chmelnicium abeſſe, neſciêre diu Poloni: & nihilo minùs animosè hoſtes, quàm ſi Ductor adfuiſſet, ad defendenda caſtra ſua accingebantur. Noctem illam, quæ victoriam excepit, inſo-

inſomnem totam ſub cœlo pluvio duxit Rex, cavens, ne quà ex inſidijs victoriæ fructum interverteret hoſtis, tenebrarum beneficio ſcitè admodum uti peritus. Aderant ibidem Proceres, etiam Sacri Ordinis: quibus adeò prævijs, Deo, eadem nocte, in campo illo pro Victoria tam illuſtri & tam pauco ſangvine partâ grates actæ ſunt. Non enim Poloni plures quingentis hoc in campo perierant.

Sed alterâ ex parte refugos Coſacos, quorum ducenta penè millia copiis admotis incluſerat Rex, periculum ſuum pariter fecerat exſomnes. Et ut gens hæc ex agreſtibus ferè conſtans, laboribus & operi faciendo aſſvevit, unâ hâc nocte, & Carraginem firmiùs altiusq; inſtruxit, & quà opus erat, vallo ſe incinxit. Nam ex aversâ parte, uli-

te, uligine, quę latè iſtic diffuſa, non pedem humanum, multò minus graviora equorum corpora ferre poterat, ſatis ſibi videbantur muniti Quia autem Duce carebant, (neq; enim Chmelnicius à Chano ad exercitum hunc ſuum rediit) alium, Dziadzialum nomine, tametſi multum reluctantem, in ejus locum (2. Julij) ſubſtituêre. Mox omnimodo ſibi conſulere quærentes, literas ſcripsêrunt clementiæ Regiæ & pacis deſiderium ſpirantes. Verum haud ſeriò rem agere, aut nondū mites ſatis ad accipiendas leges videbantur, qui precibus arma interponerent. Etenim tormentis & omni vi hoſtili asſiduo infeſtabant caſtra Regia, & tranſitu in alteram amnis partem prohibebant militem Polonum. Rex itaq; ferocientes majore vi aggredi ſtatuit: ubi in-

Digitized by Google

bi inprimis intellexerat, diſcordias inter illos gliſcere, malum rebus arctioribus, ut ſolet, latiùs valiturum. Cæterùm cum alij alia ſvaderent, nonnulli & intercluſo fluminis curſu inundari caſtra hoſtilia poſſe arbitrarentur, id tamen tùm præcipuè conſilium ſedit, machinis bellicis uti ſine morâ & asſiduò oppugnarentur. Eamq; in rem ex arce Brodanâ, à Stanislao Coniecpolſcio, nuper Belli Duce clarisſimo, exſtructâ, molis majoris tormenta adducta ſunt. Parari item trajiciendo amni pontes cæpêre, & locis opportunis erectæ terreæ munitiones, ex quibus in caſtra hoſtica ictus machinarum perferri, hoſtisq; eruptiones repelli poſſent. Harum uni ultra amnem furtim arrepſerant Coſaci, & non ſentientibus excubitoribus ſupervenientes, colla falci-

bus

Digitized by Google

bus inciderant, tormentoq; jam uni junxerant equos, avecturi illud in caſtra hoſtis, niſi rem animadvertiſſet Chriſtophorus Hubaldus, qui cum legione ſuâ accurrens, Coſacis oppresſis, munitionem iſtam recuperavit & poſtea terræ aggeſtu firmiorem reddidit. Poſteà in campum quoq; Coſaci erupêre: eo numero & impetu, ut juſtum penè prælium moliri viderentur. Verum àRegijs acri nec incruentâ congresſione repulſi ſunt in caſtra ſua. Periêrunt iſtìc quadringenti plus minus Coſaci. Sed & Poloni ſtipendiarios aliquot amisêre. Sokolus & Piaſoczynius, dum ſtrenuè pugnam cient, ſauciati ſunt. Exin tormentarijs ictibus utrinq; certatum, magno hoſtis, nec nullo etiam Regiorum damno. Ex his quippe turmalis unus, gregarij aliquot

 ceci-

Digitized by Google

cecidêre: & parùm ab interitu abfuit Hyacinthus Rozrazevius illuſtris genere & virtute Tribunus. Equus enim, cui inſidebat, majoris machinæ ictu tactus occubuit. Cùm ita parùm proficerent Coſaci, ad dolos iterùm verſi, de nocte obſeſſores omni vi adoriri conſtituerant. Sed primùm Luna, clariùs, quàm ipſis commodum erat, micans, deinde imber; utrobiq; etiam Regis ac Ducum vigilantiâ auctæ intenſæq; excubiæ conſilia hoſtis irrita reddidêre. Rediјt tum ad Regem Mehemet Czelebejus, Tartarus gente, ſed jam pridem inter Polonos agens, & hìc probatâ diu Potocio Exercituum Duci fide ac virtute, Centurionis honorem adeptus. Is agmine velitum promptisſimorum fugientes Tartaros perſecutus, plurimos ceciderat, eorum

rum etiam unum ex machina tormentariâ in extremâ pugnâ duplici vulnere ſauciatum adducebat, conſilio & autoritate inter ſuos præcipuum, & Chani hujus deceſſori ſangvinis propinquitate innexum: unde adeò rumor vulgaverat, Chanum ipſum graviter vulneratum imò & mortuum eſſe. Hic verò Murtaſa Aga (nam id nomen erat capto) cum in via à ſuis derelictus Czelebeji manum & vincula ſubiret, oblato ingente pretio perſvadere huic contenderat, ut ad Chanum potiùs, quàm ad Polonos ipſum deportaret. Sed is fidem pretio, & caſtra Regia Tartaricis prætulit. Idem plùs quàm mille Tartaros, partim cæſos, partim lethaliter ſauciatos, in viâ repperiſſe ſe ajebat; quos fugientes cęteri, ne per iſtas onerum moras ſibi deeſſent,

eſſent, projecerant, magno indicio trepidiſſimæ eorum fugæ: cum alioquin ea gens cadavera ſuorum nefas credat hoſtibus relinquere. Cæterùm res Coſacorum intra Carraginem ſuam concluſorum indies arctiores reddebantur. Excurſionibus nihil profecerant hactenus, & Regij propius indies imminebant obſeſſis. Unum ferè ſolatium liber ex Carragine ſuâ aquarum paludumq; adſtagnantium trajectus patebat: quâ commoditate alij ad fugam, alij ad pabulationes utebantur. Sed & has Balabanus vetus militiæ Tribunus, traductis in alteram fluminis ripam mille circiter militibus infeſtare cæperat. Et conſilium identidem agitabatur de pluribus illuc trajiciendis legionibus. Sed ea res lentiùs procedebat, quod metuebatur, ne obſeſ-

obſeſſor exercitus, diſperſâ nimium ſuâ vi, deſperato hoſti ſpem perrumpendi, ſibi alicubi ingens periculum pareret. Die VI. Julij cum tormenta Regiâ vi majore in obſeſſos detonuiſſent, flexi illi ad pacem quærendam nuncios mittunt, qui miſericordiam orarent. Tres erant numero, Kreſa Czeherinenſis Tribunus, Hladki, & Pereaslavecius. Quos Potocius Exercituum Dux (nam ad hunc primùm adducti erant) ſeveriſſimis verbis increpuit, *indignos eſſe* inquiens, *qui ad Regiam admittantur Majeſtatem, indignos, qui pro Chriſtianis habeantur, utpote Tartaris Turcisq; adeò arcto amicitiæ fœdere innexos.* Rex tamen, habito Senatu, audire illos ſuſtinuit, qui humi proſtrati nihil aliud, etiam cum alia interrogarentur, quàm miſericordiam, omni culpâ factorum Chmelnicio imputatâ, ingeminabant. Pariter etiam Sena-

Senatorum, qui aderant, manus veſtesq; oſculabantur. Rex cum Senatoribus diſceptatâ re, tandem per Leſcinium M. Cancellarium reſponderi illis jubet; *tametſi facinoribus ſuis veniæ propè ſpem exceſſerint, æmulam tamen Divinæ Miſericordiæ Majeſtatem Regiam illos ſuæ non omnino expertes eſſe velle, dummodo ſeriæ pœnitentiæ & ſubmiſſionis ſat fida habeat argumenta.* Conditiones in craſtinum exſpectare, interim verò unum ex tribus relinquere jubentur in caſtris Regijs. Manſit Kreſa, nec invitus, homo non contemnendi vigoris & non obſcura animi in partes Regias propenſi jaciens indicia. Poſtero die cum conditiones iis transmiſſæ, & citum poſtulatum eſſet reſponſum, nemo inde rediit, & poſtea apertè pleraſq; ac potisſimas conditionum abnuêre. Hincq; adeò etiam recaluit armorum vis, & tanto crebrioribus in illos

los jactibus tormenta Regia fulminavêre. Quibus & illi vicem reddere non negligebant, ſed fragore non magno (unde pulveris pyrii defectum Regii conjiciebant) & noxâ propè nullâ. Nonnulli verò ex iis eâ audaciâ fuêre, ut furtim caſtris Regijs ſuccedentes, teſſeram per Tubicines militi enunciatam exciperent ſuisq; deferrent, ita ut aliam tum dari oportuerit. Et conſilium oppugnationis, ad quam accingere ſe juſſus fuerat miles, quia ijsdem innotuiſſe credebatur, pariter tum omiſſum eſt. Porrò, ſi qui ex Regijs comprehenſi eſſent à Coſacis, ij magnis iſtic & exquiſitis tormentis excipiebantur. Subcenturionem Radzivillianum uſtulando, genua clavis transverberando, caput intorquendo miſerrimè excarnificarunt, antequam occiderent.
 Ali-

Aliquos etiam illic excoriatos eſſe accepi ex ijs, qui cadavera ejusmodi cute ſuâ exuta in caſtris eorum poſtea vidiſſe ſe teſtantur. Quicquid ſit, efferatiores equidem illi conditionibus propoſitis, etſi non iniquis, redditi videbantur, & cum tacitâ ſpe elabendi ſe maximè ſolarentur, in ſpeciem tamen omnia extrema experturos paſſurosq; ſe minabantur; nihil morati creberrimos oppugnantium ictus, quibus pulſabatur identidem Carrago eorum. Et audaciam eorum obfirmabânt acuebantq; Poporum (ita Sacerdotes Rutheni appellantur) hortatûs, reditum Chmelnicij & properum ab alijs Coſacis Tartarisq; auxilium identidem ſpondentium.

Enimverò poſtquam nihil ejusmodi opis usquam appareret, flacceſcere,
tandem

tandem plebes cæpit, & occultis vocibus primùm, mox apertâ fronte pacem ingeminare. Sed in contrarium jam nitebantur Ductores, rati ſcilicet pacem nonniſi ſuo diſcrimine conſtitutam. Ac hi Dziadzialum, quem nuper, Chmelnicio non comparente, Ducem ſibi præfecerant, cum iam plebi pacem poſtulanti aures commodare videretur, depulerunt munere & in locum iſtius nunc hunc, nunc illum, poſtremò tamen conſenſione quâdam Bohunum ſuffecêre. Ille (decimâ Julii) ſpartam ſuam ornaturus, noviſſima Coſacorum & Polonis ſcilicet ſtationibus proxima munimenta, aſſumptis ſecum multis millibus ſelectorum militum & tormentis duobus, firmatum ibat: quòd inprimis intellexiſſet, Lanckoronium Palatinum Braclavienſem

traiecto flumine verſus ſtationes ipſorum tendere, claudendis, quæ hucusq; obſesſis patuiſſent, viis exeundi. Cum delectos illos duceret Bohunus, ex conceptâ dudum ſuſpicione, repentè in plebe reliquâ oritur pavor, & clamante uno, veteranos Ductoresq; abire ac deſerere cæteros, eadem vox totis mox caſtris latè bacchata, cunctos Panico quodam terrore ita percellit, ut nihil quicquam morati, & mutuò ſe trudentes impedientesq;, qua quisq; poſſet, ruerent. Viæ, quas pridem magno labore & mirâ ſolertiâ ſibi munierant, minimè ſufficiebant feſtinantibus. Juxta has utrinq; paludes, & veſtigii impatiens uligo erat. Tanto maior in illo lubrico & pedem impreſſum vix remittente ſolo lapſantium labor pavorq;. Inprimis poſtquam

Coſaci x. Iul: aufugiunt.

Regii

Digitized by Google

Regij fugâ hoſtis, etſi tardius, intellectâ irruere in caſtra cæpere. Tùm verò injicere in cæni profunda uſitatas ê pellibus veſtes, coria, centones, penulas & quicquid aliud tranſitum faciliorem reddere poſſe videbatur, tum circa tramites tumultuariò factos luctari, alibi in cæno ipſo, quà profundiſſimum erat, tegendę ſalutis latibulum quærere. Veterani, quos ad munitionem firmandam prægreſſos dixi, cùm præcipites adeò ſuos ruere viderent, reverſi retinere hos initio laborabant; ſed fugientium agmine abripiebantur. Tandem & quos retinere non poterant, præire cæperunt, ac quia equis melioribus adverſusq; hoſtem ritè accincti exierant, expeditiores jam erant ad fugam. Cæterùm cum ſic omnis iſta multitudo effunderetur, ignarus rei Palatinus Bra-

clavienſis, & in ſe impetum hunc deſtinatum ratus, ne à furentium immenſo numero duo illa millia militum, quę ſecum ducebat, opprimerentur, capto ex arenâ conſilio locum occupat, ubi à tergo ſaltem tutus, circumveniri ab hoſte non poſſet. Sed hoſtis in fugam totus converſus, nihil minus tùm quàm prælium cogitabat. Perſequi fugientes non neglexêre Regij, ſed eadem, quæ illos, trajectuum difficultas morabatur ſequentes. Nihilominus, quantum poterant, inſtitêre palantibus, inter cæteros inprimis Plocenſis Palatinatus, qui indicto ſub hoc ipſum tempus armiluſtrio, in campum evocatus, jam tanto promptior erat ad inſequendum. Tota dies cædibus inſumpta eſt, alijs gladio, aut ictibus ſclopetarijs, alijs, quocunq; liceret modo, deprehen-

Digitized by Google

henſos trucidantibus. Ita illâ luce Coſacorum, agreſtiumq́; ingens numerus, triginta penè, ut quidam narrant, millium, in paludibus, dumetis, ſylvis, cecidit. Sed non pauci extremis periculis in audaciam accenſi, ex ijsdem avijs, noxam dare perſecutoribus quærebant dabantq́;. Cohors certè trecentorum circiter Coſacorum reperta eſt, quæ in locum aquis undiq́; circumfluum delata, omnem vim contra tendentium diutisſimè propulſavit. Deſperatos illos & mori impavidos conſpicatus Potocius, veniam ijs commiſſorum obtulit; conſervare ſcilicet cupiens, quorum virtutem alibi rectius impendendam admirans miſerabatur. Sed illi contemptum vitæ & rerum, quæ vitâ poſteriores ſunt, monſtrare cupientes, ac quod ſegnius perſecu-

ſecuturos ſperabant hoſtes, ubi laboris & periculi pretium perijſſet, quicquid habebant ſecum argenti, in conſpectu perſequentium in aquas ſubjectas effundunt peris. Mox multis cohortibus diu oppugnati tandemq; per uligines diſperſi, pugnare in ſequentes non deſinebant, donec, penè ſingulatim, magno affectantiũ & jam irâ in obſtinatos; tum pudore cedendi acrius urgentium labore, eminus, cominùs, prout quemq; aſſequi licuit, conficerentur. Ex ijs unus (quem quidam nobilem fuiſſe affirmant) præcipuè omnium oculos diu in ſe avertit. Namq; lembum nactus, eo tegumento per tres penè horas integras collineantium ſclopetariorum evitabat ictus, tum falce vim propinquantium arcebat: vix demum à Nobili quodam Czechanovienſis terræ, & altero Ger-

Germano gregario, aquam collotenùs ingreſſis, falce & pilo trucidatus. In caſtris, præter imbellem ſexum & ætatem, ingens præda reperta eſt. Tormenta octodecim. Pulveris pyrij magna vis. Signa quàmplurima, ſed inter alia Regium, quod Chmelnicio ab Electione mox in autoramentum obſequij & fidei miſſum erat, & alterum quod olim Vladislaus IV. adversùm Moſchos ire parans, Coſacis miſerat, ſolitum pignus, quo arma & virtus eorum ad Regni neceſſitates vocabantur. Inventum itidem Vexillum, quod XXIX. Junij die, Regijs eripuerant Coſaci. Repertus gladius, quem Patriarcha Græcus Chmelnicio miſerat, belli pro Religione ſed veriùs Regione, ſuſcepti proſperos ſucceſſus precans gratulansq;. Qui eum apportaverat

captus eſt. Adfuerat eidem Chmelnicio alius præſul Græcus, (qui Archiepiſcopum Corintheum ſe dixerat) magnus plebis concitator. Et his ipſis in caſtris ingens pactionis deditionisq; mora. Nunc in tumultu cæſus majora ſupplicia effugerat. Sed mitra, ampullæ, candelabra & alia tanti ſcilicet Præſulis ornamenta Regi reddita. Traditum item Graphiarium Chmelnicij, & in eo ſigillum exercitûs Zaporoviani, literæ item complures à portâ Ottomanicâ, Chano, Moſcho, Principe Tranſylvano, alijs à Branicio, in caſtris hoſtilibus repertæ. Advexerat idem Chmelnicius non modicam pecuniæ vim: argenteorum nummorum uncialium, qui taleri vulgò vocantur, triginta minimùm millia, in ſtipendium Tartaris; quæ pariter inter milites ut

cuiq;

Digitized by Google

cuiq; fortuna faverat, direpta ſunt. Uti & veſtes pellibus pretioſisſimis ſubductæ & alia ejus hominis ptetioſiora. Bombardarum varij generis tanta vis, quanta modico exercitui armando ſufficeret. Commeatûs varij ingens copia. Et pasſim etiam ad ignem ſtantes ollæ & verubus affixæ carnes. Vnde colligere eſt, improviſam illis hanc fugam accidiſſe, & ſcilicet divinitus potisſimum immiſſam. Vnde factum quoq; eſt, ut hæc illuſtris Victoria, vel nuperæ ſaltem victoriæ complementum paucisſimo merſum ſangvine conſtiterit. Nam Poloni quidem vix aliquot, germani quinq; gregarij, & unus Centurio ex legione Boguslai Radzivillij Ducis, qui expugnandis trecentis illis Coſacis, (quorum invictam conſtantiam modo retuli) vitam impendit. Cę-

terum quia ex tam incredibili hoſtium numero (ad ducenta enim minimùm millia is extendebatur) majorem partem, quanquam ægrè & per multa avia ſervaverat fuga; viſum eſt præter illos, qui in ipſo tumultûs æſtu perſequi disjectos juſſi ſunt, ſeptem inſuper mittere legiones veterani militis, quæ Duce Calinovio Palatino Czernihovienſi, eodemq; Campiductore longius progreſſæ, circumquaq; veſtigarent diſperſorum reliquias; & nusquam recolligendi ſe copiam permitterent Coſacis. Comites Calinovio dati Jeremias Viſnovecius Dux, & Vexillifer Regni Coniecpolſcius. Iſti fauſtâ cum prece dimiſſi, hìc illìc reperiebant palantes & recente in obſtinatos, nuperq; paci non iniquæ refragatos irâ, dabant pleroſq; neci. Magna pars fugientium Du-

Dubnam tranſiêre, ſed & illic, dum longum aggerem trajiciunt, tria penè millia à præſidiarijs alijsq; eò miſſis cohortibus interfecta ſunt. Simul iſtic deprehenſa ferunt ſubſidia, quæ cum ad obſeſſos Coſacos tenderent, nunc ſero poſt rem perditam adventu in partem ſtragis aut fugæ venêre. Rex ipſe verſus Crzemeneciam, nobilitate penè omni ad Bereſteciam remanente, movit, itinere glorioſo quidem ſed & miſerabili. Paſſim enim inter ſparſa hinc inde per campos cadavera eundum erat; paſſim etiam in ſylvis occulentium ſe & fame emorientium greges errare viſebantur. Corticibus arborum nonnulli ſe per dies aliquot ſuſtentaverant, jam ita langvidi, ut fugere amplius non poſſent: tamen victoris gladij formidine, in interiora ſylvarum reptantes,

dum ſervare ſe nituntur, tanto magis ſe ope humanâ privabant. Ut mittendi eſſent Regi, qui occurſarent timidis, atq́; etiam manus injicerent, non trucidandi animo, ſed ut hortarentur, ne mortem ſibi ultro accelerarent. Aliquib⁹ etiam jam fame deficientibus & ſceletorum ſpeciem repræſentantibus cibi juſſu Regio ſuppeditabantur. Publicata deniq́; diplomata, quibus venia commiſſorum ſubditis ad Heros ſuos revertentibus promittebatur. *Renunciarent modò Coſacis obſequium reſpuentibus, portasq́; ijs clauderent; Regijs verò militibus de commeatu proſpicerent.* Ad eum modum Rex ſeveritatem clementiâ moderans, victoriam quidem perſequi; ſed ſi fieri poſſet non nimium cruentam habere ſtudebat: Sui enim Regni membra, etſi ignobilia, tamen nobilibus neceſſaria non reſe-

can-

Digitized by Google

canda penitus arbitrabatur, dum aptâ medicinâ ad ſanitatem revocari poſſe viderentur. Cæterùm præſentiam ſuam cohibendis Coſacorum belliq; ſimul reliquijs haud parùm videbat profuturam. *Fortius quippe rei abſolvendæ inſtituros milites, ſi eodem auſpice & Duce porrò uterentur: & facilius ceſſuros pertinaces, ubi ſummum ſeveritatis & veniæ arbitrum præſentem vidiſſent.* Itaq; omninò progredi aſſumptâ omni Nobilitate ſtatuerat, Kioviam ſaltem usq;, inde fræna belli, prout res exegiſſet, moderaturus. Sèd alij contra nitebantur, inprimis ê Nobilitate pleriq;, qui *præter neceſſitatem, curam Penatium ſuorum non exiſtimabant ſibi diutius deſerendam. Neq; verò opus eſſe totius Ordinis equeſtris præſentiâ ad reliquias has Coſacorum perdomandas. Impulſam eousq; ſeditionis molem ſuâ jam ſponte ruituram. Aut ſi ſuperſint, qui infelicia arma reſumere audeant, eorum coërcitioni Exercitum ſtipendiarium facile ſuffecturum. Non eſſe è re, ingentem hanc civium multitudinem in oras ducere deſertas a cultoribus & â transfugientibus tùm Tartaris tùm Coſacis pervaſtatas. Plus noxæ ibi paſſuram à fame, quam armis daturam hoſti.* Nonnulli & Re-

Regem progredi nolebant, *ſpicilegia hæc belli ac gloriæ Ducibus relinquenda* ſvadentes *Ipſe Varſaviam rediret: iſtic habitis Comitijs, ſtipendia & ſupplementa exercitibus procuraret. Ita in togâ ſagi negotijs & Reip: univerſæ pleniſſimè conſultum iri:* Sed plures alij alia cauſabantur, nonnulla etiam quæ hoc bello neglecta putarent, acerbâ libertate perſtringentes. Triduo penè toto cum his ex illo aliquot milliarium intervallo commeantes diſceptabant ſummæ dignationis viri, qui Regi ipſimet ad res in Ukrainâ tranſigendas eundum eſſe ſtatuebant, ipſi euntem comitaturi & eodem Nobilitatem invitantes. Sed fruſtra: prævalebat multitudo reditum efflictim poſtulantium. Et dedit hoc tandem tanto illi Nobilitatis domuitionem poſcentis conſenſui Rex, ut & dimitteret abiturientes, poſtquam certas pecuniarum & militum

Digitized by Google

tum ſuppetias promiſiſſent, darentq́; protenus, & ipſe deniq́; ſequi polliceretur. Mox convocatis apud Orlam, Firlejanum oppidum, Ducibus, Tribunis, alijsq́; Ductoribus præcipuis, quę res poſcebat, juſſa ac monita elargitus, omnes Potocio, ut ſummo exercituum Duci, parere jusſit. Hinc redire jam paratum nuncij undiq́; de protritis hîc illìc Coſacorum globis exceperunt: & literæ â vicinæ provinciæ Palatino allatæ ſunt de victoriâ gratulantes. In iis ſimul memorabatur, quod & alij excurſores Regij & inprimis captivi, quos territus Barbarus & Regiæ gratiæ ſtudens prȩter ſolitum dimiſerat, ex parte retulerant, *Chanum accepto de occupatis Coſacorum caſtris, nuntio, tanto magis in terram ſuam feſtinaſſe, ſed & quater mille Turcas copiasq́; Tartaricas, quæ Coſacis ſuppetias ibant, intellectâ ſuorum clade, turpiter reditum, trajecto Boryſthene, præcipitare.* Narrabat deniq́; Palatinus *ſcripſiſſe ſe ad Portam Ottomannicam literas, victoriæ Regiæ indi-*

indices: monuiſſeq́; eos, qui iſtic clavum regant, ne Chmelnicianos nuncios, qui ibi opem quærerent, aliâ, quàm qualem victrix Regis fortuna pateretur, gratiâ exciperent. Et parva equidem benevolentiæ ſigna relaturos inde nuncios illos ſpondebat. Pariter verò ex Lithvaniâ de bonis adverſum Coſacos ſucceſſibus læta Regi revertenti apportabantur. Nam recens ibi, poſt alia feliciter ante adminiſtrata, & generosè repulſas Chmelnicii legationes, quibus Principem à ſuſceptis adverſum Coſacos armis aſtutè ſtuduerat avocare, non uno conflictu hoſtem iſtic fuderat Radzivillius.

Conſtiterant non procul Lojoviâ ad Boryſthenem & Soſſum fluvios duodecim plus minus millia Coſacorum. *Niebabæ ſtrages.* Quibus Niebaba quidam præerat ſpectatus inter ſuos Tribunus. Is eductis ad ripam Boryſthenis, ê conſpectu Lojoviæ, operâ tumultuariâ, munitionibus terreis cohortes aliquot impoſuerat, trajectum illum Coſacorum uſui

ſerva-

ſervaturas. Eas aggreſſurus Radzivillius, Gregorium Mirſcium excubijs M. Ducis Lithv: præfectum, cum ter mille ſelectis præmiſſum, fluvium trajicere jubet: ipſe v. Julij, cum reliquo peditatu (equites enim terrâ ibant) & tormentis, flumine ſecundo, inſequitur. Vbi temp⁹ eſſe viſum, datum eſt à Principe, ſono machinarum, faciendi aſſultus ſignum. Nec mora. Adoritur miles munitiones, atq; interim ad ſignum datum allapſus cum ſuis Mirſci⁹ à tergo pariter invadit hoſtē. Qui undiq; circumventum ſe ſentiens, ubi per ſesquihoram ſe defendiſſet, tandem prævalentibus Radzivillianis fugam arripit, paucis remanentibus & mox à perſecutore milite obtruncatis. Victoria hæc ut Radzivillianis nullo penè ſangvine conſtitit, ita mox inſtrumentum victo-

Digitized by Google

riæ fuit alterius. Nam de adventu Principis & periculo ſuorum admonitus Niebaba, ut his laborantibus ſuppetias ferret, properè, cum equitatu præcipuè ſuo accurrit. Ergo iterum mox copiis his Radzivillianis, etiam antequam alia earum pars in trajiciendo flumine adhuc occupata, ad certamen venire poſſet, dimicandum fuit. Pugnatumq; eſt magno utrinq; ardore ad veſperam usq;: ſed tandem perruptis hoſtium ordinibus, palma penes Radzivillianos manſit, quam opimiorem trium Tribunorum, atq; inter eos ipſius Niebabę cędes fecit. Gregariorum tria circiter millia periêre. Vexilla erepta duodecim. Capti non pauci, etiam ex inſignioribus, atq; inter eos agnatus Niebabę, quippe fratre ejus genitus. Cęteri fugâ quà dabatur, nonnulli in caſtra

ſtra ſua non procul poſita elapſi ſunt. Sed nec in ijs diu morati Czernihoviam benè munitam urbem ſe recepe- runt: Vnde ubi miſſus â Duce Chriſtophorus Potocius, Subdapifer (vulgò *Podſtoli*) Magni Duc: Lithv:, ad caſtra Niebabę accesſiſſet, vacua ea repperit. Lubeczam pariter ultrò deſeruêre Coſaci; & Czernoblium venienti Vincentio Goſievio rei tormentariæ in Lithvania generali præfecto ſpontè dedidit ſe. Neq; quicquam Principi poſteà moræ diu fuit, quò minùs Kioviam progreſſus, quicquid reliquum hydræ iſtius illâ in parte reſtaret, conſpirante ſociatâq; Ducibus Regni operâ,elidere pergeret. Ita inter allabentes undiq; lætos nuncios regrediebatur Rex Varſaviam. Attamen, antequam eò veniret, adverſis etiam nonnullis a-

 liquan-

liquantùm interpellatus eſt felicitatis Regiæ curſus. Nam & Leopoli tranſiturum ſequior valetudo aliquot diebus attinuit: & cum poſteà firmato utcunq; corpore, iter continuaret, Lublinum transgreſſo, nuncius de morte unicæ filiolæ ſuæ Annæ Mariæ Tereſſæ allatus eſt. Ita mala bonis intermiſcere ſolet fatum, & raro ulla felicitas ita mera eſt, quin acerbitate aliquâ diluatur. Sed Rex quoq; de tanto hoſte victor rediens, hunc domeſtici vulneris dolorem cordatè admodum tulit vicitq;. Et citatiore hinc itinere progreſſus Varſaviam x Auguſti, ſoſpes & optatisſimus triſtitiæ, quę Aulam omnem obſederat, diſpulſor, intravit.

Novus tumultus circa Craoviam diſſipatur. Cæterùm in Ruſsiâ adhuc erat Rex, & nec dum ad Bereſteciam inter ipſum hoſtemq; deciderat fortuna, cùm alibi auſpi-

auſpicijs ejus, nova & circa ipſam Regni Metropolin exſurgens tumultuum flamma, vigile inprimis Petri Gembicij Epiſcopi Cracovienſis & Ducis Severię curâ ac prudente dexteritate ſuppreſſa eſt. Locus, unde illa emicuerat, Czorſtein vocatur. Arx eſt Regia, duodecim leucis à Cracovia diſtans, edito in monte ad Donajecium fluvium ſita, & eâ parte, quà fluvio imminet, ardua admodum acceſſu. Eam circà Cal: Junij uno alterovè comite ingreſſus eſt Napierſcius, qui Koſtkam, magnifico & illuſtris familiæ in Polonia, nomine, ſe vocari voluit: homo vanus vagusq́;, & cui nihil aliud quàm audax paupertas ac turbatę in Regno res, amplioris fortunę ſtruendę ſpem animumq́; injecerant. Ac locum flagitio delegit, ubi Hungarię vicinia

Autor tumultus Napierski.

cinia

cinia & ipſa montium confraga non tantùm ſocios audaciȩ plurimos, ſed & debilibus initijs latebras datura videbantur. Quippe illos Carpathi montis, &, quæ inde latè ſe exporrigunt, jugorum incolas, feroces ingenio atq; ad latrocinia pronos, qualicunq; militiȩ ſpecie prȩbitâ, excuſatiorem prȩdandi licentiam &, ſi fors faverit, libertatis ſpem haud gravatim amplexuros rebatur. Quam in rem etiam ſparſerat inter agreſtes, ſe liberandȩ à Nobilitatis & Judȩorum tyrannide plebi venire vindicem. Nec inept⁹ ſeditionis ciendȩ comes & ſtimulus ei acceſſerat homo agreſtis quidem, ſed qui jam olim, magnis Comorovio, potenti iſtic Nobili, turbis datis clarus, Mareſchalci nomen acquiſiverat. Illo machinatore ad illiciendos vulgi animos utebatur.

batur. Et jam plurimi nefariæ ſocietati nomen dederant, quos ille Pſeudo-koſtka ſertis viridibus inſigniri juſſit: eorum qui id ſignum non prætuliſſent, tuguriis villisq; flammas ſubjicere minatus. Ubi præſtructis ita fundamentis, rem ipſam adoriri ſtatuerat, Czorſtenum, arcem belli iſtius futuram, intrat, & ſuæ mox poteſtatis facit. Quod tametſi nullâ cum validâ manu venienti facile fuit, quoniam, Præfecto longè inde abſente, Judæus duntaxat aderat, arcis & præfecturæ hujus proventuum conductor. Et Regio juſſu venire ſe arci adeò neglectæ protectorē fingebat Impoſtor, diploma oſtendens, quód grandi ſigillo munitum cùm vidiſſet literarum rudis, & alioquin etiā pertinaci imparem ſe animis viribusq; ſentiens Judæus, haud mul-

tùm reluctans, homini, ceu Regio miniſtro, & armato inermis, curam & Regimen Arcis conceſſit. Interim ſpargitur ea res per viciniam, & Cracoviam deniq; defertur, ad loci inprimis Epiſcopum. Cui quod cura iſtius oræ â Rege ad bellum eunte demandata, eoq; nomine etiam Regem comitandi neceſſitas remiſſa erat, minimè negligendum hoc, quicquid eſſet, viſum eſt. Mittitur ad hominem, qui inquirat, quâ autoritate Arcem inſediſſet. Ille paucis abſolvit nuncios, ijs, quæ faceret, Regia mandata unicè obtendens. Sed quia tum de confluentibus paſſim inter montium avia agreſtium globis rumor crebeſceret, ſuſpicio ſimul gliſcebat, affinem aut Ducem eum eſſe coeuntium conſilijs. Sine morâ manum unam alteramvè peditum ſubmittit vi-

tit vigil & prudens Epiſcopus, pluresq́; in montibus colligi jubet, disjiciendis nefariæ turbæ cæptis. Brevi ad quingentos excrevit peditum numerus. Et his ala velitum adjuncta eſt, quam in tractûs iſtius cuſtodiam jam dudum ſuo ære alebat Epiſcopus. Iordanus etiam, conſpicuæ nobilitatis Vir, pauciq́; alij addidêre aliquos de ſuis. Nam cæteri pleriq́; nobiles, primoresq́;, qui validiores manus diſturbandæ huic conſpirationi ſubmittere potuiſſent, ad caſtra Regia abierant. Unde tanto majores in terrâ quaſi viduatâ ſucceſſus ſibi pollicebatur impoſtor. Cæterū ferunt inter pedites illos ab Epiſcopo conductos non paucos noticiâ & conſcientiâ quoq́; molitionis innexos huic pſeudo-Koſtkæ vel ej⁹ ſocijs fuiſſe. Sed quia tanto facto concurſu obviari viderint ori-
 enti

enti malo, converſis ſtudijs eò jam impenſius in conjuratos operam commodaſſe, ut ſe innocentes probarent. Atq; ex his inſtructos aliquos, ut ſuggreſſi rogarent in arcem admitti, tanquam ſocij futuri propugnatoribus. Et receptos eſſe, quia ut dudum notis & amicis fidebatur. Sed eodem jam alij quoq;, ubi de adventante Epiſcopi milite ſuboleverat Impoſtori, vocatu hujus adſciti erant. Ita ut is quadraginta præterpropter ſecum iſtic capita haberet. Vbi miſſa ab Epiſcopo manus ad arcem, Jarocio & Rubachio ductoribus, acceſſerat, primo omniũ, & ut conſilio ſic ſucceſſu optimo iſtic hoſti aquæ copiam eripiendam duxit. Vnus enim puteus erat, isq; extra arcis pomæria. Hunc magnâ celeritate occuparunt obſeſſores. Ita re perneceſſariâ carebat cum ſuis Impoſtor: cætera omni-

geno

Digitized by Google

geno commeatu ſatis inſtructus. Crebro inſuper pilarum, etiam tormentariarum, jactu infeſtabantur obſeſſi, quanquam innoxiè fermè; adeò ut cum multa millia globorum emiſſa eſſent, nonniſi unus tamen Cocus ibi perierit. Sed ſpe deſtituti liberationis, ſimul & aquæ penuriâ marcidi agreſtes, tandem colloquium expetierunt. Quo dato, cum Koſtkam & primarium ejus ſocium, *Mareſchalcum*, ut dixi, appellatum vinctos dare juſſi eſſent, paruêre: ſicq; VI. Cal: Jul: dediti ſunt bini illi, & tertio poſt die Cracoviam devecti, ibidemq; per vicos præcipuos in curru, vinctis ad tergum manibus ſtantes, circumducti ſunt, plurimâ undiq; turbâ ad ſpectaculum affuſâ. Torminibus ſubjectus Impoſtor, cùm, quid hominis eſſet, interrogaretur, nihil aliud reſpon-

Digitized by Google

dit, quam *Tribunum Aulicum ſe, & magnis mox copijs imperaturum fuiſſe,niſi intercepta eſſent conſilia: quippe viciniâ & Vrbe ipſâ Cracoviâ ſpoliatâ exterorum ſe militem adducere cogitaſſe. Et ſpem ſibi auxiliorum à Chmelnicio & ex Vngariâ luxiſſe.* Non multis poſt diebus captum de utroq; ſupplicium eſt, quale iſtiusmodi ſcelera decet. Reliqui ex arce ſtatim, prout pacti erant, dimisſi fuerant; multis dein præcipuos rei hujus adminiſtratores culpantibus, quod impunè abire tantorum flagitiorum reos permiſiſſent. Sed datæ obſesſis fidei Sacramento defendebant ſe; & *noluiſſe deditionem duris nimiùm conditionibus morari*, ajebant: *quòd quamprimùm Caput duntaxat auferendum credidiſſent conjuratis, quorum ingentem numerum jam paſſim concurrere compererant. Illo ſublato confectam rem proſtratamq; univerſam, ipſo eventu jam patere.*

Ignoraverant verò iſti Ductores ad idem hoc reſtingvendum incendium majorem manum ê Rusſiâ venire. Etenim Epiſcopus, ſimul ut coire in illis mon-

montium jugis agreſtes intellexerat, novam & grandem tempeſtatem veritus, maturè Regi, quid ad Regni Metropolin ageretur, ſignificârat. Ille, re utæquum erat, penſitatâ, mittit properè tres primarios Cracovienſis Palatinatûs Magnates, Michaëlem Zebrzydovium Regni Gladiferum, & Alexandrum Lubomierſcium Comitem in Viſnic, ſtabuli Regni Præfectum, nec non fratrem hujus Pręfectum Sandecenſem cum ter mille militum manu, magnam partem ipſorum ſtipendiis in uſum publicum autoratâ. His negotium datur, ſuo Palatinatui & ibidem Epiſcopo, in comprimendis his novorum tumultuum principiis, magnâ vigilantiâ, ſtudio, ſumptuq; laboranti opem ferendi. Et ibant illi ſat feſtinatis itineribus. Sed felice Epiſcopalium dexteritate

ritate factum eſt, ut poſt captum iam Catilinam adventarent. Accepi ex viro prçclarç eruditionis & fidei; Mathematicum Cracoviç degentem, in hunc ipſum diem, (xxiv. Jun.) quo Impoſtor in Urbem introductus eſt, vincula & captivitatem Chmelnicio portendiſſe. Acceſſit hactenus ad veri confinium ars, ut eo die non aſpernandum Chmelnicii inſtrumentum in vinculis adduceretur, & Chmelnicio ipſi circa hoc tempus à Polonis clades, & ferè vincula imminerent. Nam Bereſteciana Regis victoria paucis poſt diebus contigit. Dederat verò is vir etiam antea peritiç ſuç illuſtre ſpecimen, quando feralem illum prçdixerat ictum, quo olim fœdus parricida Piekarſcius Sigismundum III. Regem glorioſiſſimum tantùm non de vitâ ſuſtulerat.

Præſagiũ Mathematici.

De ex-

De exſtinctâ hâc nefariâ & multùm ſanè, ſi adoleſcere potuiſſet, periculòſâ conjuratione Rex paulò poſt victorias Rusſicas accepit nuncios, qui cæterorum triumphorum gaudijs in cumulum quaſi acceſsêre. Potocius autem, ubi à Rege Varſaviam redituro digreſſus erat, quàm poterat celerrimè ad perſequendum hoſtem feſtinabat. Quanquam ipſum ſiniſtra nonnunquam valetudo attinebat, & quia per loca deſolata & famelica exercitus ducendus erat, fiebat inde, ut multi militum elangveſcerent interirentq;. Germani inprimis pedites, qui evagari pabuli causâ, quod equitibus proclivius eſt, non poterant. Viſũ eſt ergò diviſione copiarum faciliorem ſibi reddere annonam. Et pars Calinovio Campiductori, ac Viſnovecio Duci, pars Lanc-

 koro-

koronio Palatino Braclavienſi commiſſa eſt; medio inter hos itinere ipſe Potocius ſummus Dux cum vexillifero Regni, alijsq;, tendebat. Indictum ſimul, ut omnes Lubartovam dirigerent curſum. Quod oppidum, civium freqventiâ, & ingenio ſitûs, intactum ſe hactenus ſervaverat ab hoſte. Eòq; præmiſſæ copiæ quędã, ſpeculaturę Coſacorũ conatus, &, ſi fieri poſsit, Pavolociam, ipſamq; Bialocervkam celeritate occupaturę. Paſsim autem placidè agere ſuos jubent Duces, ne violentiâ militari in extrema aut fugam, magis ſtimularentur agreſtes: ſicq; abſcondentibus ſe & peſſundantibus ſua incolis, ipſa tantò magis incandeſceret deficeretve annona. Qvamobrem & Magnates ad ſubditos ſuos literas nunciosq; misſitabant, clementiam illis ſpondentes, dummodò ad

ad officium redirent. At Chmelnicius ubi à Chano, dato multo argento, liber & cum aliqvâ, etſi tenui accipiundi in poſterùm ab eodem auxilij ſpe, dimiſſus erat, Pavolociam venit, ibiq; primos de ſuorum clade poſtremâ, & miſerabili fugâ nuncios, atq; aliquos etiam ex profugis Tribunis excepit. Et quantumvis plurimùm perculſus, inſtaurare tamen animum & vires cæpit ad colligendas fractæ quaſi fortunæ tabulas. Dimittit itaq; per remotiores Ruſſiæ oras, literas ac nuncios, quibus plebem ad conſtantiam in tuendâ causâ hortatur. *Eſſe inſtabilem fortunam, ac ſolitum ei ludum, altius mox evehere, quos paulò ante depreſſerit. Faviſſe nunc eam Polonis, ſed eandem etiam Coſacorum expeditiſſimos ſuperſtites voluiſſe, qui ad reſuſcitandum bellum & ſarciendam cladem ſufficerent. Regem cum majori exercitûs parte in Poloniam receſſiſſe, ubi Rakocius ipſum Regni caput invaſerit. Inde ſibi tanto plus ſpatij fore ad vires recolligendas: adq; avertendas, quæ jam adversùm Ruſſos veniant, copias. Paucorum Magnatum cohortes eſſe, exultantium nuperâ victoriâ, ac Ruſſis, ut ſubditis ſuis,*

Ita fingebat homo, fortè tam̄ ad tumultum allu-

& ut debellatis inſultare parantium. Sed fruſtrà fore iſtos, & eſſe ſibi in mundo, unde tam inſolentes eorum ſpes retundat. Confluere denuò florem & robur Coſacicæ militiæ: & propediem adfuturos Tartaros, qui ut nuperam labem expient; tanto jam fortiùs pugnaturi ſint. Ita ille vulgus agreſtium paſſim animabat, aliquo ſuo compendio: ſed non minore etiam Regiorum. Nam his bonæ ſpei blandimentis retinebantur intra Lares ſuos plurimi, qui alioquin profugi, optima quæq; vel corrupiſſent, vel ad Coſacos iteratò coëuntes deportaſſent. Sicq; tranſeuntes Poloni tanto plus alimentorũ reperiebant. Interim paulatim Chmelnicii exercitꝰ, tum Ruſſorũ, tum externę rurſum militię acceſſu, augeſcebat. Arguebant equidem Tartari ipſum fraudis, qui vires Polonorum extenuando, autor fuiſſet infelicis congreſsûs. Et viciſsim Ruſſi à Tartaris præproperâ fugâ ſe deſertos querebantur. Fama etiam ferebat,

dens, qui circa Cracoviã autore Napierſcio coortus, at in herbâ mox oppreſſus erat.

bat, alicubi fugientes iſtos à quodam Tribuno Coſacorum inclementer admodum habitos. Ac deniq; Potocius ſummus militiæ Dux ad Chanum miſerat literas, vim minantes, niſi ſocietati huic Ruſſicæ nuncium is remitteret. Nihilomin⁹ aderant Chmelnicio Tartarorum duo minimùm millia, quos, cum cæteri domum unà cum Regulo ſuo tenderent, largis ſtipendiis induxerat, ut aſſociarent ſe ipſi. Poſtea etiam is ſubinde ad Chanum mittebat, magnis promiſſis auxilia evocans, & identidem *in ſuâ fortunâ Chani ſimul ſecuritatem verti* demonſtrans. *Se enim debellato periturum illi ingens propugnaculum, & hoc velut ponte ſtrato ituros in ipſum Polonos.* Sed & ad Aulam Ottomanicam tres Coſaci magnâ feſtinatione ablegati ſunt, opē iſtic oraturi, monituriq; ſimul *Aſſecutos opem Coſacos retundendæ Polonorum potentiæ usq; pares eſſe poſſe; ſin deſerantur, pace cum Polonis initâ, arma in ipſos Turcas vertenda illis fore.*

Interim, quantum per Peditem, labore, victûs penuriâ, morbisq; deficientem, Potocius poterat, iter celerabat: ne moram daret hoſti, cujus molitiones non ignorabat, ad reparandum robur. Et ut undiquaq; hoc quaſi calens ferrum cuderetur, ex Lithvaniâ etiam Ianusſius Radzivillius Princeps, recens tum turmis non paucis, Georgii inprimis Hlebovicii Palatini Smolenſcenſis, firmatus, magnis itineribus adproperabat. Etenim, ubi duodecim millia Coſacorum, uti ſupra memoravimus, profligaſſet, Ductoribus ipſis, atq; inter eos Niebabâ cæſo, alijsq; pluribus captis, Kioviam, ceu caput Ruſſiæ Primarium, cùm ſuâ ſponte, tùm mox acceptis inſuper in eam rem mandatis Regiis, tanto celerius ſibi petendam duxerat; relictâ, ubi res poſce-

Digitized by Google

poſceret, parte copiarum, inprimis circa Czernihoviam Urbem Fronckevicio haſtatorum equitum Pro-Tribuno, qui juſtâ cum manu retundendis præſidii, Czernihoviæ à Coſacis impoſiti, excurſionibus advigilaret.

Principem victoriis ſuis inſtantem & ad præcipuum hoſtium cubile tendentem præibat fama, magnoq; omnia terrore paſſim implebat. Inter alios, Antonium & Orkuſſam Tribunos partim ad Czernobilum, partim in Ovrucenſi tractu hærentes ita perculit, ut illicò fugam retrò capeſſerent. Orkuſſæ extremum agmen in trajectu quodam Pawſa Tribunus Radzivillianus deprehendit oppreſſitq;. Cum reliquis elapſus Ductor ad quintum à Kioviâ lapidem jungere cum altero Tribuno Antonio cohortes ſuas cæperat; ſed & hic

jam

jam junctos aggreſſus, quem Princeps præmiſerat, Vincentius Corvinus Goſievius Structor M. Duc. Lithvaniæ, vir toto hoc bello de patriâ optimè meritus, ad Irpam amnem feliciter fudit: ita ut impedimentis & ponte exuſto, Kioviam fugâ trepidisſimâ ſe reciperent. Sequebatur Goſievius, & ſeorſim ſine omni penè obice bellū, quà terrâ, quà Boryſthene ſecūdo, in Rusſiā ulteriorē transportabat Princeps. Sed jā Kioviam, prægreſſus Principem terror ita conſternaverat, ut non tantū Coſaci, qui in illo tractu tutos ſe crediderant, decies mille circiter numero, præviis Tribunis, feſtinanter locum deſererent: ſed & Metropolita Sylveſter Coſſovius, Joſephus Triſna, Cænobii, quod ibi celeberrimum eſt, præfectus, vulgò Archimandrita, nec non Magiſtra-
ſtûs

tûs Vrbis literas ſupplices mitterent, ad omnes Exercituum tum Regni, tum Mag. Duc. Lithvaniæ Duces, totumq; exercitum ſcriptas. In quibus magnâ ſolicitudine, ne *Vrbi ſuæ aut templis vis aliqua inferretur, deprecabantur: à ſe nempè in Regem nihil unquam hoſtile tentatum, ſed pro incolumitate ejus preces ſubinde fuſas; multorum item Nobilium Virorum fœminarumq;, inter hos bellorum æſtus, vitam & fortunas in tuto apud ſe manſiſſe. Ad eorum ipſorum teſtimonium nunc ſe provocare. Et citius miſſuros fuiſſe ſupplicis animi indicia, niſi armati undiq; viam obſepſiſſent.*

Cum literis iſtis dimiſſi plures; ſed lentius ad Potocium pervenit Monachus lator literarum, & eo nomine à Duce perſtrictus, difficultatem itinerum obtendit. Citius Radzivillio occurrêre deprecatores, cujus ſcilicet arma ex proximo jam Vrbem circumſonabant. Et movêre illum Principem ſupplicum preces, ut Vrbem armatus ingreſſus, nihil niſi arma & nocendi potentiam oppidanis, quos repperit, auferret,

ret. Nam plurimi eorum, ſeu ſibi malè conſcij, ſeu Victoris clementiæ non ſatis fidentes, antequam is Vrbem intraret, aufugerant. Chmelnicius, tantæ Vrbis jacturâ intellectâ, eò ſolicitiùs diſperſas convocabat vires: ac quâdam velut deſperatione ad extrema accingebatur. Et promptos ſatis ad tentandam denuò aleam experiebatur non Coſacos tantùm, ſed & plebem alicubi. Adeo ut inter agreſtes quoq; ſonarent voces, *Turpe eſſe ob unius prælij ſiniſteriorem ſucceſſum cadere penitus animis. Fugatos aliquando, qui nunc fugarent: & poſſe eodem revolvi fortunæ rotam. Quod ſi in Ruſſos cum Polonis ſors porrò conſpiraverit, fore ſub Turca ſedem, ubi vitam meliùs & cum libertate agere poſſint, ac jam eo nomine ſcriptas ad Baſſam Siliſtrienſem literas.* Non exigua igitur hominum vis confluebat denuò ad Chmelnicium: alicubi etiam ſuo ductu bellum reſuſcitabant Coſaci agreſteſq;. Inprimis, qui ad Tiram fluvi-

fluvium, Valachis loco & latrocinandi ferociâ propiores ſunt, quatiebant arma. Adeò ut deliberandum eſſet Potocio Duci, an filio ſuo Præfecto Camenecenſi, qui hactenus, quà poterat, conatibus iſtorum fortiter obſtiterat, ſubmitteret opem, an illum potius ad ſe accerſeret. Sedit conſilium, ad majorem uti is exercitum vocaretur. Quò etiam (XVII. Auguſti) cum duobus millibus feliciter appulit, Bohuni, præcipui Coſacorum Tribuni, Scribam, quem in itinere ceperat, ſecum ducens. Nondum autem is advenerat, cum ſummus Dux Bialocerkwam verſus tendens, ſeptem turmas præmiſit, ſi nihil fors daret amplius, ſaltem de hoſte certos aliquos allaturas nuncios. Sed ex Pavolociam, oppidum Johannis Zamoſcij Præfecti Calusſienſis, transeuntes,

quia magnam rerum omnium copiam reppererant, non modo largiter ſe invitarunt, ſed & violenter proterveq́; admodum, quæ abſumere non poterant, corrupêre. Unde & ſecuta eos properè ultio eſt. Vix enim paulum ultrà Pavolociam progreſſi erant, cum bis mille Coſaci, & quingenti Tartari à Chmelnicio emiſſi, obviam ijs fiunt. Quòdq́; animosè hi invehi viderentur, illi omnem hoſtilem potentiam adeſſe rati, retrò Pavolociam versùs, flectunt, curribus, quos in Vrbe ultra fas, nec eſculentis tantùm ſed varij generis rapinâ impleverant, libidini hoſtili relictis, Ac ipſos ad portas usq́; Pavolocianas perſecutus eſt Coſacus & Tartarus. Bonâ tamen fortunâ, his exultanter admodum refugos urgentibus ſupervenit Vonilovicius Viſnovecij Principis Centurio,

Digitized by Google

rio, qui facto in medium hoſtium agmen impetu, ita divulſit disſipavitq; perſecutores, ut pars Bialocerkwam, pars in caſtra ſua retrò ageretur; pars caderet aut caperetur. Qui ex Tartaris capti erant, interrogati de numero Tartarorum, qui jam Chmelnicio mererent, *duo millia adeſſe, ſed propediem quatuor inſuper millia acceſſura: reliquos autem omnes Tartaros paſcere equos ſuos & pariter in Polonos accingere ſe juſſos*, affirmabant. Idem alij captivi, quos Juricza, & mox iterum idem Vonilevicius adduxit, uno ore aſſeverabant: hoc ſimul de novisſimâ hâc impresſione addentes, *creditum Ductoribus ſuis, aliquos duntaxat Magnatum Polonorum ad ditiones ſuas tendere; tantoq; adeò animoſiùs impetum in turmas illas factū.* Potocius de hoſtis viribus, &, quæ ſperaret, auxilijs Tartarorum edoctus, ſiſtit nonnihil gradum, impedimenta & pedites, qui lentiùs procedebant, præſtolaturus. Interim autem

Digitized by Google

cum cæteris militiæ capitibus, quid factu opus videatur, deliberat. Nonnulli *celeritate agendum ſvadebant, petendumq́; ipſum Caput belli Chmelnicii, antequam Tartaricis ſuppetijs magis firmaretur.* Alij, inter quos Viſnovecius, *Chvaſtovum in itinere, quà Kioviam iretur, ſitum oppidum, flectendum eſſe contendebant; quò proclivior eſſet cum Radzivillio conſiliorum communicatio & deniq; conjunctio armorum.* Poſterius pręplacuit ſummo Duci, ſed ſic tamen, ut adhuc impedimenta & cæteras copias expectandas ſibi putaret. Interim & literæ à Principe Radzivillio ſuperveniunt ad exercituum conjunctionem invitantes copiarum Polonicarum Duces. Sed petebatur id, quod idem omnibus modis iſti quoq; deſiderabant contendebantq́;. Lentius tamen procedebatur ob langvidiorem peditem, & ne inconſulta celeritas induceret in inſidias exercitum. Quare Pavolocię aliquot dies extracti, non ſine damno illius

illius tractûs, ſed hæres ejus Iohannes Zamoſcius Præfectus Calusſienſis, per Palatinum Braclavienſem ſuper eâ re compellatus, & *hæc, & omnia ſua bona, & ſeipſum Reipubl: uſibus conſecratum devotumq; eſſe, reſpondit.* Dum hic ageret exercitus, nuncium accipit de obitu Hyacinti Rozrazevii Tribuni, viri illuſtri genere, fortitudine, peritiâ rei militaris & rerum geſtarū gloriâ inter præcipua Poloniæ decora numerandi. Lubartoviæ relictum, contagioſus, ut perhibent, morbus abripuit. Sed paucis poſt diebus funeſtisſimum iterum Poloniæ univerſæ Mors dedit ictum. Illud enim ingens belli fulmen, Ieremiam Michaelem de Koributh Ducem in Viſhoviec & Lubne, Palatinum Rusſiæ, Præfectum Premislienſem, in flore ætatis, in ipſo gloriæ curſu, incredibili Patriæ damno, & ſum-

Digitized by Google

& ſummo omnium luctu ſuſtulit: Ingentem hujus Reipublicæ Virum, & meritò cum curâ dicendum. Ex ſomnis indoles, animus magnorum capax & clareſcere properus ad ardua capeſſenda mox juvenem impulêre: ac ipſa ad fines Rusſię ſita, & Scytharum incurſib⁹ opportuna hęreditas amplisſima campum ei patentisſimum aperuerat. Simulatq; apta armis ferendis ętas ejus exſtitit, nullum penè cum Tartaris certamen habitum eſt, in quo is illuſtria virtutis non dederit ſpecimina. Et in fatali illâ poſt Vladislai Regis exceſſum, regni & felicitatis ſimul Polonę eclipſi, nemo alius hoſtem, poſt cęſos exercitus, in viſcera Regni graſſantem fortius & pręclarius ſuſtinuit. Unde eum vox publica ſemper ſummo belli regimini deſtinabat; ſed neſcio quâ velut abſti-

obſtinatione ſubinde reſtitit fortuna. Primùm cunctabantur quidam ſummæ autoritatis viri, tam fervidæ & ætatis & indolis Viro credere Regni protectorem exercitum; & ubi adeptus deniq; erat clavum belli, reddidit mox eum alijs, qui eâ poteſtate per cladem publicam evoluti, cum è captivitate rediſſent, munia ſimul ſua repetebant. Bellum hoc Coſacicū exuerat illum penè omnium, quas vaſtisſimas habebat, facultatum uſu. Sed quæ florentibus rebus, raro illo & nonniſi præclaris rebus impenſo vigore, perpetuâq; pulcherrimorum facinorum gloriâ, tum comitate & beneficentiâ, penè ſupra, quam utile ipſi eſſet, collegerat, ſtudia manebant; & ipſa reluctantis fortunæ velut invidia augebat illi ex miſeratione quodammodo amorem. Non exi-

guum quoq; is priorum decorum titulis noviſſimo prælio addiderat cumulum: cùm primus ipſe in hoſtem duxit, & ad clariſſimam victoriam non parùm attulit momenti. Ac ei porrò etiam ſpes publica civium in perfringendâ & conficiendâ hâc rebellionis excetrâ partes minime poſtremas aſſignabat. Sed cæpta ac vota ómnia conculcavit præcox fatum; & quem tot ante prælijs, nuperq; tam præſenti periculo ſuperſtitem ſervaverat, nunc acutâ febre immiſsâ abripuit. Perculit graviſſimè totum exercitum tanti ſideris occaſus, & cunctis militum triſtiſſimos planctus, plurimis lachrymas & tantùm non arma excuſſit dolor. Certabant mærendo Duces cum milite: nec potuit quicquam in hoſtem tentari, antequam tanto funeri utcunq; juſta eſſent perſoluta. Itaq;

(XXV.

(xxv. Auguſti) major pars exercitus, inverſis armis, & militaribus cunctis ſed ſincerisſimis luctûs indicijs, longè extra caſtra cadaver proſecuta eſt. Poſtero die movit caſtra lugubria Potoci⁹, publico mœrori à negotio quærens ſolamen. Et primo omnium Triliſium, oppidū benè firmum, & magnæ remoræ, niſi præciperetur, futurum, aggredi viſum eſt. Præmisſiq; mox qvi deditionem poſtularent loci. Cum ferociùs reſpondiſſent, qui in oppido erant, præter alios Sigismundo Przyemſcio Rei tormentariæ Præfecto eidemq; Notario Campeſtri; nec non ſecundùm hunc Berkio Boguslai Radzivillij Principis Pro-Tribuno demandatum eſt, vi ut oppidum adorirentur. Illi ſelectis ex Germanicis cohortibus ſeptingentis militibus, & tormentis aliquot minoribus inſtructi

Ieremiæ Viſnovecii Ducis cadaver educitur caſtris maximo exercitûs luctu.

Digitized by Google

rem ſtrenuè adminiſtrant: eo eventu, ut ipſi qvidem ſeptuaginta viros, atq; in ijs binos Ordinum Ductores Strauſſium & Wahlium amitterent; oppido tamen, & intra alteram poſteà horam, arce etiam, vi fortiter admotâ, potirentur. Nimia obſtinatio oppidanorum eſſe viſa eſt, quę tot bonos milites abſumpſerat. Et fœminę in repellendis oppugnatoribus, mixtę vel prępię viris, multum intulerant damni. Adeò ut & Strausſium Centurionem mulier falce interemiſſe feratur. Eo minus parcendum eſſe viſum eſt tam noxijs: & cum Germanicis cohortibus in oppugnatione ſuperveniſſent Polonicę, nihil non iręr & gladio in oppido occupato permiſſum eſt Non ętas, non ſexus miſerationem attulit. Viri minimùm mille periêre. Ipſe, qui locum pręcipuè defen-

Triliſium oppidum expugnatur.

ſave.

ſaverat, Coſacorum Ductor captus & in furcam actus eſt. Domus & quę usquā in oppido reperta, militi in prędam ceſsêre. Quę auferri non poterant, vel non merebantur, cum oppido univerſo, flammis dicata ſunt. Adeò res formidabilis eſt, incidere in hoſtem, quem nimiâ obluctatione irritaveris, damnariq; inſuper in exemplum, quo terreri Victor alios velit. Cujus tum excuſatior quodammodo ſeveritas videtur, cū ſemel aſperior eſſe ſuſtinet, ne eſſe ſępiùs cogatur. Hìc ſanè non infeliciter ceſſit inclementia. Ignis enim ille longi⁹, quàm ureret, lucens, Chvaſtovum locupletem Epiſcopi Kievienſis, ſed ab hoſte jam infeſſam Vrbem ita perterruit, ut non trecenti tantum, quibus tutela loci commiſſa erat, Coſaci, ſed & oppidani univerſi profugerent. Ita nemi-

Digitized by Google

ne penitus reſiſtente Vrbs, firma ſatis ad vim, & non pauco alioquin ſanguine conſtitura, in poteſtatem Regiam redacta eſt. Hìc verò jam prȩſtolari Principem Radzivillium ſtatuerat Dux exercituum Potocius: ut junctis viribus poſthac in hoſtem iretur. Et commeabant identidem literȩ, quibus mutuò, quid ageretur, & quid factu opus eſſet, ſignificabatur. Hȩſerat autem interim ad occupatam à ſe Kioviam Radzivillius, dũ Regia mandata & exercit⁹ Poloni propiorem acceſsũ opperiretur. Sed nec tut⁹ iſtic nec ſecurus unquã agebat. Neq; enim ceſſabat hoſtis veſtigare, quà illi⁹ vires accideret, iterq; interciperet, ne cum Polonicis copijs conjungi poſſet.

Decimâ ſextâ Auguſti Kioviȩ excitatum (quo autore vel caſu incertum) ad Boryſthenem fluvium, incendium ſexagin-

Digitized by Google

xaginta domos exuſſit. Poſtero die circa meridiem denuò coortus ignis majorem noxam dedit. Prętor vulgaria ędificia, & tabernas cum mercibus deuſtas, plusquam ducentę aulę Nobilium deflagrarunt: templa item plurima, tam Romani quam Gręci ritûs, & inter hęc ex vetuſtisſimis unum, quod à Vlodimiro, antiquo Kiovienſium Duce, exſtructum ferunt. Cathedralis, & Dominicanorum ędes integra manſit, quanquam & huic illapſę erant flammę, vix à milite demum exſtinctę. Auxit verò ignem afflans, appetente veſperâ, vehemens ventus, unde ſparſa latius flamma ipſis advolitabat caſtris, & niſi pręaltus, in quo poſita erant, mons interceſſiſſet, correpta fuiſſent eadem clade. Redijt ſub hæc ab excurſu verſus hoſtem facto unus ex Radzivillianis Ductori-

ctoribus Noldius. Qui ubi non procul portâ Kiovienſi, aureâ dictâ, conſtiterat, animadvertit Coſacos Tartaris mixtos ſuccedere proximo molendino & curribus ſuorum famulisq́; manus injicere. Illicò Bellicum canitur, quo territi illi ad alterum inde lapidem refugiunt, ſed ſimul aliquos inſequentium cædunt ſauciantq́;. Interim equites deſultorij, ac mox cæteri ſubveniunt, & hoſtem, ponte præter ejus opinionem ſuperato, ita excipiunt, ut capti circiter centum, & in univerſum mille ferè deſiderati ſint. Erat autem trium millium illa man⁹, Coſaci magnam partem, ſed quib⁹ multi agreſtes & Tartarorum non modic⁹ numerus acceſſerat. Quanquā iſtorum plures à conflictu abfuerūt, ê longinquo nempe fortunā expeditionis iſtius ſpeculati. Cæterum quotquot hîc

hìc adfuêre miſſi quidem à Chmelnicio, ſed citius, quàm juſſi erant, pugnaverant. Expectare enim alia ſex millia debuerant; & ita junctis copijs undiq; Caſtra Radzivillij aggredi. Sed Noldium præproperè inſectati, cladem ſibi acceleravêre. Neq; poſteà tamen infeſtos habere, & quà poſſet, per inſidias ſolicitare Radzivillianos deſijt hoſtis. At vigiles ſemper & intrepidos expertus eſt. Et tandem, proviſis ubiq; ad Kioviam, quæ oportuit, & ſufficiente præſidio relicto, iter cum exercitu ingreſſus eſt Princeps, copias ſuas Polonicis juncturus. Venire paranti obviam mille quadringentos milites Potocius miſit, & ipſe reliqvum exercitum, quò minus ſpatij intercederet, ad Vasſilovum promovit. Verum antequàm eò proceſſum eſſet, tentare Chmelni-

cius compoſitionem cæperat, miſſis ad ſummum Ducem literis, in hanc ſententiam: *Se & Coſacos in ſervandâ pactione Zboroviana, & obſequio S. Reg: M. adhuc conſtantes, injuriam quidem hactenùs paſſos; attamen id, quicquid ſit, Deo relinquere: nunc vero orare Potocium uti militiæ, ſic in Senatu præpotentem; conſilio & autoritate ſuâ efficere tentaret, ut poſitâ tandem iſti ſangvinis humani diluvio obice, exercitus Coſacicus Regiâ benevolentiâ de integro, ut olim, fruatur.* In alijs literis, incertam etiam fortunæ & ancipitem belli aleam oſtendere auſus eſt Potocio. Cæterùm multis parùm fida eſſe credita eſt iſta de pace ſolicitatio, qui nihil aliud ab eo quæri ajebant, quàm moram temporis ad eliciendа à Tartaris majora auxilia. Uti equidem aliundè etiam intelligebatur, perpetuis flagitationibus à Chmelnicio, & Chani Crimenſis, & Turcarum opem advocari. Nihilominùs explorare hominis mentem placuit, quibus conditionibus Regi ac Reipubl: conciliari vellet. Sed is tàm ardua poſtula-

ſtulabat, ut omnis compoſitionis conat⁹ vanus futurus eſſe videretur. Eò magis denuò ad arma undiq; conclamabatur. Auxerat exercitum Regni jam Radzivillius Princeps novem minimùm millibus optimorum militum: & non parvas idem copias, ut dixi, protegendæ Kioviæ aliįsq;, quà iverat, locis, reliquerat. Chmelnicius in illam Urbem, Ruſſiæ iſtius antiquam metropolin intentos maximè oculos gerens, & nunc diſceſſu Radzivilliano ſuis molitionibus patentem ratus, mittit terrâ quinq; amplius millia, flumine Boryſthene tria millia hominum; non Vrbi tantùm ſubrepere ita, ſed & ſcaphas Principis iſtic relictas occupare ſperans. Verùm infeliciter provenit machinatio. Nam illos, qui terrâ iverant, Calinovius Campiductor deprehenſos tantâ virtute ac felicitate
 profli-

profligavit, vicitq́;, ut vix niſi pauciſſimi effugerent. Et parta eſt hæc victoria permodico ſangvine: cum hinc vix ſupra quindecim perierint, & inter eos Centurio Ioannis Zamoſcij Præfecti Galusſienſis, qui ipſe huc Calinoviũ comitatus, milite ſuo non parum momenti ad victoriam attulit. Cæteri Coſaci ſecundo flumine provecti, cum ſocios non repperiſſent, & fruſtrà expectarent, abire tamen noluerunt, quin circa Vrbem periclitarentur fortunam. Sed præſidiarij maturè â Radzivillio moniti, repulêre fortiter ſuggredientes; & commodùm ijs in ſubſidium venit miſſus à Potocio Sokolus, ſpectatæ dudum virtutis Ductor. Itaq́; ab Vrbe quidem irritus abiit hoſtis, ſcaphas tamen tres celeritate abripuit. Poſtea vi infeſtâ redeunti machinis grandioribus ê monaſterio

ſterio Nicolajano multùm noxæ illatum eſt; fuitq;, cum novem cymbæ Coſacis refertæ, tormentariis ejusmodi ictibus juxta cum onere ſuo mergerentur. Inter hæc Chmelnicius, tametſi novis Tartarorum auxiliis (ſex enim millia recens à Chanò ſubmiſſa erant, at numerus hic ſtudiò, ad terrorem augendum, in majus augebatur,) ſuccinctus, ad pacem iterùm inclinare animum cæpit. Et hinc pariter ab Adamo Kiſielo Palatino Kiovienſi ſtimulabantur identidem Duces, ut ignoſcendo bellum finire, quàm mutuò ſangvine continuare mallent. Quando inprimis Polonus etiam exercitus non laborum tantùm, pugnandiq; aſſiduitate, ſed & morbis multùm attereretur. Ac mitigati illi quidem hactenùs ſunt, ut miſſos à Chmelnicio nuncios, pacis ineundæ quaſi va-

Digitized by Google

dum prætentaturos, non implacidè acciperent. Quibus ad ſuos revertentibus additus eſt ex centurionibus ſpectatioribus Nahorovius, pariter animum hoſtilem altiùs ſcrutaturus. Hic aliquot diebus iſtic detentus, tandem cum tribus aliis Coſacorum internunciis in Caſtra Polonica rediit. Illi ad Duces admiſſi, nomine ſuorum, veniam patratorum ſupplices orabant, ſimulq; literas reddebant idem petentes. Juxta verò Chmelnicius iterùm Virum aliquem dexterum mitti poſtulabat, quìcum Vihovius, exercitûs Coſacorum Notarius, Chmelnicio ab epiſtolis & ſecretis, cæptum opus continuaret. Mittitur itaq; Machovi⁹ equeſtris Centurio, cum literis Potocii ſummi Ducis, in quibus, quod Chmelnicio Ductoris exercitûs Zaporoviani non dabatur titulus, ea res homi-

hominem non parùm turbavit, & injuriam, quam Duci ſuo factam putaret, præter reliquos aſperabat verbis Dziadzialus, ex præcipuis Tribunis unus. Sed à Machovio idoneis rationibus amota hæc ſolicitudo & arrectis omnium auribus lecta eſt epiſtola. Poſtea ſemotis arbitris, de amandandis extemplò Tartaris agi cæptum. Ad quod cum Chmelnicius nullis perſvaſionibus, etiam Vihovii, intimi aliàs conſiliarij, induci poſſet, inſtitit Machovi⁹ eò usq;, & reditum vel re infectâ ad ſuos ſubindè urgens, ut deniq; Coſacus, poſt cæteras conditiones utrinq; approbatas, hanc quoq; non recuſaturum ſe, polliceretur. Poſtulatum porrò, ut Chmelnicius ipſe cum Tribunis nonnullis in caſtra Polonica, fidê fretus Ducum, veniret. Sed id non tàm Chmelnicius, quàm Tribuni cæte-

cæteri & plebs Coſacorum abnuebant. In campo autem iſtud negotium tracta-re non tutum ſatis videbatur ob Tartaros, quorum violentas manus ægrè illic evitaturi eſſent feciales pacis. Itaq; Vihovi⁹ penè ſupplex orabat, ut in arce Bialocerkvianâ hic de pace congreſſus haberetur. Omnia hæc cum redux â Coſacis Machovius retuliſſet Ducibus, poſt accuratam deliberationem decretū deniq; eſt mittere Commiſſarios: deſtinatiq; mox eò ſunt Adam: Kiſielus Palat. Kiovienſis, Georgius Hlebovicius Palatinus Smolenſcenſis, Vincentius Corvinus Goſievius Dapifer magni Ducatûs Lithvaniæ, & Michael Coſſacovius Subjudex Braclavienſis. Qui xv. Sept. caſtris valido ſatis cum comitatu egreſſi, in oppidum tamen nonniſi quingentos equites induxêre. Plebi hoſtili

ingra-

Digitized by Google

ingratus erat iſtorum adventus, & multi non temperabant ſibi, quin vim minarentur inferrentq; ingreſsis, fas ſcilicet gentium nihil morati. Quâ de re moniti à delegatis Duces exercituũ properè rationes quærunt ſecuritati eorũ conſulendi. Et ſine morâ ablegatur cum ſat validis copiis Calinovius Campiductor, ut tam eximia Reipubl: capita ê periculo, quod imminere iis videbatur, ad caſtra usq; reduceret. Sed illos oppido tardiùs, quàm condictum erat, ègreſſos, diu Campiductor fruſtrà præſtolatus eſt: adeò ut inopiâ victûs redire in caſtra cogeretur. Tanto major ſolicitudo inceſſit Duces militesq;: qui alii alia, omnes triſtisſima quæq; delegatis iſtis timebant, damnantes jam quoq; fiduciã ſuam, quâ hoſti nimiùm credidiſſent. Anxiis rumor affertur venire delegatos,

Plebs ſub jugum redire metuens adverſatur paci.

ſed à Tartaris in itinere infeſtatos egere auxilio. Sine morâ promptiſſimus quisq; militum, & famulitii caſtrenſis turba ſat numeroſa effunditur, laborantibus opem ferre quærens. Incidunt in delegatos venientes, ſalvos quidem ipſos, ſed impedimentis ſuis magnam partem à Tartaris exutos. Hi enim ſolitâ levitate & prædandi cupidine, fortè & quia hanc ſibi pacem multùm noxiam fore olfecerant, adorti erant currus Delegatorum, fruſtra prohibente Chmelnicio & cæteris Coſacorum Ductoribus. Qui equidem omnes egregiam fidem & ſat vigilem, in defendendis contra furioſæ plebis & Tartarorum violentos conatus delegatis, induſtriam Polonis tum probârunt, in plurimos turbidorum etiam ferro graſſati, & in reliquos non lenem polliciti ultionem. Cæterum periculo
qui-

quidem damnoq; non parvo conſtitit iter hoc delegatis, non tamen nullum etiam pretium ejus videbantur referre. De omnibus enim ferè, quæ utrinq; poſtulabantur, iſtic convenerat: pauca duntaxat quæpiam reſervata, de quibus poſtea in caſtris usq; diſceptandum fuit. Itaq; cum nihil adeò grave obſtare crederetur, quin brevi colophonem ſuum acciperet pacis negotium: viſum eſt Ducibus ad locum, ubi ſacramentum iterare Chmelnicius & præcipui Coſacorum Tribuni debebant, propiùs admovere copias. Adeoq; xx. Sept. Hermanowkâ mota ſunt caſtra, & verſus Bialocerkvam totus exercitus pulchro ordine & apparatu proceſſit, Lithvanis lævum, Polonis dextrum latus tenentibus. Poſtero die mittit Chmelnicius literas, quibus hunc exercitûs ac-

ceſſum mirum ſibi accidere nunciat, nihilominus Commiſſarios in craſtinum adhuc mitti petit, rem omnem tandem conſummaturos; ſeq; vicisſim ſuos miſſurum ſpondet. Mittuntur hinc viri duodecim, illinc totidem adſunt, ſed inter quos paucisſimi ex primiceriis Coſacis erant. Hi primùm turmas aliquot Polonicas in proximo ſtare queſti, cum nonniſi ad Tartarorum undiq; imminentium incurſiones arcendas veniſſe eas audiviſſent, obſidibus duobus acceptis, ad poſtulata ſuorum exponenda acceſsêre. Ea hæc erant: *Primò pactis Zborovianis uti ſtetur. Deinde copiæ Polonicæ ut recedant. Poſtremo, integrum ut ipſis maneat, cum Tartaris amicitiam ſartam tectamq; conſervare. Hos enim libertatis ſuæ cuſtodes eſſe.* Portentoſa omnia videbantur poſtulata, & longè nimirum alia ab ijs, quæ his aliquot diebus agitata, nonniſi extremam manũ viſa ſint deſiderare. Exprobrataq; illis

illis inconſtantia & nov⁹ hic faſtus, quem haud dubiè novę Tartarorũ copię, & fallax aliqua de Turcico auxilio allapſa aura ijs ſufflaſſet. Monitũq; ſimul, *ne vanarũ pollicitationum fiduciâ ſe ſuosq́, omiſſis mitioribus conſiliis, in exitiũ præcipitarent.* Inde deſperatâ jam pace, meris jam belli meditationibus rurſus incumbi cæptum eſt: & exercitum à Sigismundo Przyemſcio curatisſimè ordinatum, verſus caſtra Coſacorum promovêre Duces. Radzivillio Principi & quæ ſub illo erant, copiis Lithvanicis dextrum latus, incurſionum hoſtilium periculo maximè obnoxium dabatur. Siniſtram alam Calinovius Campiductor ducebat. Medium aciei Potocius ſummus Dux & cum tormentis Sigiſm. Przyemſcius tenebat. Coſaci pariter effundebantur, Tartaris intermixti, ſed quaſi ſpeculaturi duntaxat, quid Polo-

norum agitaret exercitus. Plurimi etiam temulenti & clamori excitando, quàm ciendis armis aptiores. Quippe Chmelnicius, uti poſt intellectum teſt, ſeptem ingentes cados ſpiritus ex ſiligine eliciti promiſcuo omnium uſui promi paulò ante juſſerat. Cum hoſtem præbitâ conciliationis ſpecie ludificari viſum, nunc in campos egredientem vidiſſent Poloni, præcipuis quibusq; prælio decertandum videbatur. Sed repugnabat is, ſine quo ſciſci nihil poterat. Interim tamen turmæ nonnullæ eo loco jam erant, ubi pugnandi non copia tantùm, ſed neceſſitas oblata talis, ut honeſtè effugi non poſſet. Quibus cum hoſte velitantibus Czarnecius vexillifer Sendomirienſis, & mox Staniſl: Potocii Palatini Podolienſis copiæ ſuppetias, conſentiente

Velitationes cum hoſte.

Digitized by Google

ente tandem Duce, tulêre. Alibi verò dextra aciei ala, prævio Radzivillio Duce, acerrimè invecta in hoſtem, campo illum ſub ipſa usq; caſtra ejus propellebat. In quę & ipſa factus impetus, forteq; etiam bello victus fuiſſet hoſtis, niſi tardiore in prælium conſenſu dies penè elapſus, & nox ſuborta juſtum inſidiarum metum prudentibus feciſſet. Poſtero die Chmelnicius per Reitarovium Equitum ductorem de copiarum Polonicarum appropinquatione iterùm multa queſtus, nunciari tamen juxta jubet, *hoc, quicquid Coſacorum heri ad arma junctâ cum Tartaris manu veniſſet, non ſuo veniſſe juſſu: & pergratum ſibi eſſe, non in grandiorem ſangvinis effuſionem incaluiſſe pugnam: neq; adeò ſpem usq; pacis occiſam, ad quam, ut cœpta ſit, pertexendam ipſe adhuc maneat paratus.* Sed hoſti inter pacis oſtentationem, belli moras & augmenta virium quærere viſo irati jam omnes, ſi ob morbos exercitum vaſtan-

ſtantes tempori & neceſsitati hactenus quid dediſſent, haudquaquam amplius contendebant fidem habendam. Kiſielus tamen Palatinus ad mitia ſemper pronior, duas ſaltem horas illi usq; largiendas cenſebat. Intra has niſi ad æqua annueret, non obſtiturum ſe poſthàc, quin eluſa pacis conſilia armis vindicarentur. Nonniſi ſero jam die reſponſum miſit hoſtis, & antequam id afferretur, plebs interim Coſacorum nihil non hoſtile tentabat. Pars in camporum apertum effuſa animos Poloni exercitûs in ſe avertebat, pars nemorum ac dumetorum latebris ſuggreſſa imminebat caſtris, hæcq; eadem à tergo Tartarus adoriebatur. Sed longè citra votum ſtetêre, quod erat, non amittere, ſi quæ affulſisſet, rem benè agendi, contra Polonos, occaſionem, aut ſi ni-

ſi nihil aliud efficere poſſent, terrore ſaltem ſparſo, tanto optabiliores obtinere conditiones. Vergente verò, ut dixi, die redibat Reitarovius, in poſteram lucem ſummam manum pacis negotio imponendam, nomine Chmelnicii, certò promittens. Et usq; tamen, ſeu jubente, ſeu, quod ſimilius vero, plebi coërcendæ impare Chmelnicio, aſſultabant ſubinde agreſtium & Tartarorum cohortes, copias ad caſtra, inclinato die, redeuntes, quà poſſent, ex inſidiis carpentes. Et ita triduum adhuc totum paciſcendo ac ſimul perpetuò cum hoſte, Tartaro inprimis, velitando effluxit. Capiebantur ex hoſtili multitudine, cadebantq; ſubinde plurimi: hinc pariter nonnulli, vi vel fraude hoſtium, at plures mortalitate, quæ tum immiti admodū pluvii cæli tempeſtate

ingraveſcebat, abripiebantur. Tanto magis morarum tædebat Duces, cum hoſtis nec ita in arenam belli procederet, ut juſtâ acie decerni poſſet, & pacis etiam negotium moleſtis traheret procraſtinationibus. Tandem XXVI. Sept. à Chmelnicio tres Coſaci adſunt, magis jam feriũ abſolvendi pacificationis negotij deſiderium oſtendentes: nihilominus dura usq; petunt: inprimis, ut Coſacis, quos vicies mille numero eſſe, conſensũ jam erat, in Braclavienſi quoq; & Czernihovienſi Palatinatibus ſtationes ſuas habere fas ſit. Cum Commiſſarii id abnuerent, poſtero die obtinere hoſtis ſtuduit, ne iisdem in Palatinatibus militi quoq; Polono hiberna eſſent licita: ſaltem, dum Chmelnicius in digerendo Coſacorum exercitu, alboq; ejus conficiendo occuparetur. Præterea Cercaſſi-

caſſienſem & Borovicenſem tractum concedi uſibus ſuis poſtulabat Chmelnicius. Sed hoc poſterius dare ſe niſi Rege & Republ: jubente, negabat poſſe Potocius. Alterum, ad tempus certum, homini permittendum cenſuit, cum præſertim is ſecretò Zacvilichovio veteri equitum Ductori indicaſſet, non adeò efflictim iſtud petiturum ſe, niſi plebi id obnixè poſtulanti gratificandum omninò putaret: ſaltem eòusq;, dum congregata illa & multitudine ſuâ freta turbas dare, ipſiq; etiam Ductori vim inferre poſſet; & ei jam à Ducibus quoq; ipſis dandum aliquid videri. His ita utrinq; acceptis, nulla in cæteris mora fuit, ut quæ jampridem mutuo conſenſu rata habebantur. Nec quicquam reſtabat, quàm ut Chmelnicius cum præcipuis Tribunis Caſtra

Polonica ingreſſus, jure-jurando pacta firmaret. Et ipſe quidem, ubi ſecuritati ſuæ, acceptis obſidibus, ſatis conſuluerat, promptus erat ire ad Duces. Sed ex Tribunis nonnulli, neſcio quid cauſantes, dehortabantur. Nihilominus Zacvilichovio, quid rei æquitas dignitasq; partis Regiæ flagitaret, ob oculos ponenti obſecutus, venit XXVIII. Sept. in Caſtra. Iſtic ſupplex Potocio factus veniam commiſſorum cum lachrymis orat. Inde Radzivillio Principe, cæterisq; Magnatibus demiſsè itidem ſalutatis, conditiones pacis audire jubetur. Quarum ego, cum Latinitatem vix capiant, ſi ad verbum ex vernaculo verti debeant, ſummam hìc ponam:

I. *Quandoquidem exercitꝰ Sacræ Regiæ Majeſtatis Zaporovianus, ejusq; Ductores omnes perpetuo iterùm obſequii nexu Regiæ Majeſt: & Reipubl: ſe ſubjiciunt, permittunt Commiſſarii, ut inpoſterum viginti millium capitum ſit ille exercitus. Isq; à Duce ſuo ac Tribunis ordinari inq; album referri; ſtationes verò in bo-*

nis

nis Regiis ſolùm Palatinatûs Kiovienſis, Braclavienſi & Czernibovienſi intactis, fixas habere debet. Nobilium quoq; bona ab illis ſtationibus immunia erunt: & ſi inde aliquis in cenſum Coſacorum fuerit cooptatus, is ſedem ſuam in bona Regia Palatinatûs Kiovienſis transferre tenetor, & antequam transferat, vendendi res ſuas ac fundos libertatem habeto; nec Heri, Præfecti aut Subpræfecti ulli, obicem iis ponunto.

II. Recenſio viginti millium Coſacorum, qui ordinariè Regi & Reipubl: merebunt, inchoanda intra alteram à Pacificatione hebdomadam, circa proximè verò futurum Chriſti natalem finienda eſt. Matricula autem ſeu Album Coſacorum, quod cujusq; Coſaci nomen, cognomen & ſedem deſcriptam continebit, ſubſcriptione Ducis Coſacorum munitum, Regiæ Majeſtati mittis atq; in Acta publica Caſtri Kiovienſis referri debet. Quisquis in albo illo deſcriptus reperietur, antiquis privilegiis & juribus Coſacorum fruetur: quibus albo illi non contigerit inſcribi, ſolita ante ſubjectionis obſequia Arcibus Regiis præſtabunt.

III. Exercitibus Polonicis in Palatinatu Kiovienſi, Coſacorum ſtativis deſtinato, ſtationes nullæ permiſſæ ſunto: uti viciſſim Coſacorum ſtationibus, Palatinatus Braclavienſis & Czernibovienſis à proximè futuro Chriſti natali præcluſi eſſe debent.

IV. Nobilibus Kiovienſis, Braclavienſis, Czernibovienſis Palatinatuum ad ſua, uti & Præfectis ad bona Regia, eorumq; uſum-fructum, munia item ſua & juris-dictiones liber reditus patebit: à cenſuum tamen exactione abſtinebunt, donec rationario ſeu albo Coſacorum ritè facto, pateat, qui privilegiis Coſacorum frui debeant, qui minus.

V. Czeherinum Strategus ſeu Dux Coſacorum poſſidebit. Sed uti is, cui nunc Coſacorum regimen mandato & privilegio Sacræ Reg: Majeſtat: commiſſum eſt, Bohdanus Chmelnicius, ita in poſterum, qui ex eâdem gratiâ Regiâ illi ſuccedent, privilegiorum eorundem compotes, Regi & Reipubl: jure-jurando fidem

 ſubje-

Digitized by Google

ſubjectionis & obſequii obſtringere ſuam debent. Tribuni centra ſub imperio Ducum, quos Regia Majeſt: exercitui Coſacorum ſuo præfecerit, ſunto.

VI. Religioni Græcæ, quam Exercitus Coſacicus profitetur, priſtina libertas ſecundùm antiqua jura per Cathedras Epiſcopales, Templa, monaſteria ſua omnia, ſarta tecta maneto. Collegium item Kiovienſe in ſtatu ſuo ſervator. Si quid poſſeſſionum Eccleſiaſticarum, durante hoc Bello, contra antiquã Ruthenorum jura obtentum aut uſurpatum fuerit, ea uſurpatio nullius ponderis eſto.

VII. Quicunq; ex Nobilitate Romani vel Græci ritûs inter turbatas hactenus res, Coſacis adhæſerint, Cives item Kiovienſes, amneſtiæ beneficio fruuntor, & vitam, honores, liberos, facultates omnes ſalvas retinento. Si quid adverſum in aliquem ut capite diminutum, occaſione belli hujus, ſtatutum fuerit, id publicâ lege abrogator.

IIX. Iudæis in bonis Regiis & nobilium, jus incolatûs & conductionum, ut antea, liberum eſto.

IX. Tartari quotquot jam ſunt in terris Polonicis, illicò relegantor, & citra vaſtationem terræ abſcedunto, nec ſtativa uſquam hîc figunto. Eos porrò Coſacorũ Ductor amicitiæ & ſervitiis Reipubl: denuò innectere promittit. Sed ſi hoc ante Comitia proxima factum non fuerit, ſpondet ipſe & univerſus Coſacorum exercitus, amicitiæ eorũ ſe renunciaturos & ut adverſum hoſtes Regis ac Reipubl: juxta cum Regni exercitu arma laturos fineſq; defenſuros: neq; cum illis, vel ullis aliis externis Dominis conſilia inituros aut conſpiraturos: ſed in fideli obſequio Regis & Reipubl: conſtanter & perpetuò manſuros. Et ut hodiernum Ducem cum Tribunis & exercitu univerſo, ſic in poſterum etiam ſucceſſores eorum obſtrictos fore, fide & ſtudio deditiſſimo ad omnes Regis & Reipubl: neceſſitates ac imperia præſtò eſſe.

X. Ad

Digitized by Google

X. Ad Magni Ducatûs Lithvaniæ fines uti Album & delectus Coſacorum nunquam pertinuêre hactenus, ita necdum pertinento, ſed, ut ante cautum eſt, intra Palatinatûs Kiovienſis limites terminantor.

XI. Kiovia cum Vrbs metropolitana & juridicialis ſit, ex eâ quàm pauciſſimi milites in matriculam ſeu Album recipiuntor.

Iſtæ conditiones tam à Commiſſariis, quàm à Duce Zaporoviano & Tribunis reliquis in certius fidei utrinq; ſervandæ autoramentum jurejurando ſanciendæ ſunt. Exin Polonici exercitûs in loca deſignata diſcedent, ibi Coſacici exercitûs recenſionem præſtolaturi. Tartari quoq; illicò, atq; ipſæ etiam Coſacorum copiæ domum dimittentur. A Duce deniq; Coſacorum & Exercitu Zaporoviano ad Comitia proxima mittendi ſunt nuncii, nomine ipſorum, Sæ: Regiæ Majeſt: & Reipubl: pro veniâ commiſſorum datâ gratias acturi.

His ita lectis, & tum ſubſcriptione nominum tum juramento ritè ſtabilitis, publicę aliquandiu læticię, quibus ſolet, modis litatum eſt. In convivio, cui Chmelnicius cum Tribunis ſuis nonnullis interfuit, injecta ab illo ſiniſterior Palatini Valachiæ mentio offenſas aliquas excitaverat. Sed & hæ poſtero die per Vichovium à Chmelnicio miſſum deprecationib⁹ mox diſcuſſę ſunt. Moveri

veri poſtea utrinq; copiæ cæpêre. Ducem verò exercituum Potocium ut ſubinde hactenus ægritudines variè exercuerant, ita pace tandem ſtabilitâ revertentem Paralyſis impotem ſui, & in Apoplexiam deniq; verſa, vitæ exortem fecit. Ad Machnowkam, Tiskevicianum oppidum, prima ſideratio uſum dextri lateris, ferè & ſermonis illi ademerat. Sedulâ tamen curâ Luberti Erbenii Medici, qui ipſi annis aliquot, per varias rerum vices, vinculaq; etiam Scythica aſſiduus valetudinis cuſtos adfuit, aliquantulum revaluit. Sed ſui negligentior, & quaſi certus jam mortis, corpori continuis à juventa ipsâ laboribus feſſo, ne poſt tanti quidem morbi incurſum quietem neceſſariam indulſit: perpetuus adhuc in itineribus, & imperatoriam ſcilicet ſub

Potocii Caſtell. Cracov. extrema.

ſub dio mortem expetens, ut & ipſe faſſus eſt Amicis, qui illum ad majorem ſui curam hortabantur. Ultimum itinerum fuit, quod Laticzoviam urbem Regiam, ſed cui ipſe præfectus erat, ſuſcepit, ut iſtic de Czercaſsienſis Præfecturæ jure & poſſeſſione Nicolao Potocio filio, quem ſui loco in captivitate Scythicâ reliquerat, reſignatione legitimâ, cederet. Cum inde rediret, lethali omnium corporis membrorum reſolutione intra vehiculum ſuum, xx. Octob. correptus, fato repentino animā Deo reddidit. Vir â tenero bellicis conſecratus & innutritus operibus. Decimo ſexto ætatis anno prima militiæ tyrocinia, ſub fortiſſimo Duce Zolkievio, ad Smolenſcum depoſuerat. Ad Czecoram poſtea, unà cum Ducibus, infelicem Martis aleam expertus, vincula

Cantimiri, celebris fortitudine Tartari, ſubiijt. Inde poſt biennium exactum redux, Generalis Podoliæ Præfecti honore exceptus eſt. Cui poſt & Notarii Campeſtris acceſſit munus. Cum eximiam in bello virtutem clariſſimo militiæ Duci Stanislao Coniecpolſcio probaſſet, viſus deniq; dignus eſt, qui ei collega daretur: ſicq; Campiductor Regni, & mox Palatinus Braclavienſis renunciatus eſt. Eò magis poſtea, ubicunq; arma Polonica fulsêre, fulſit ſimul Potocii fortitudo, ſecundiſſima Coniecpolſcio in reb⁹, quas ille Heros gloriosè geſſit, adjutrix. Fracta equidem olim Coſacorum ferocia, eorumq;, poſt Cumekenſe inprimis prælium, ſub adductius Regni frænum coactæ vires uti auſpiciis Vladislai Regis, directioni Coniecpolſcii, ita adminiſtrantis Potocii virtu-

virtuti potiſſimùm debentur. Poſt fata Coniecpolſcii ſucceſſor eidem in præcipuis Reipubl. dignitatibus fuit: Caſtellani protenùs Cracovienſis & Ducis exercituum ſummum honorem adeptus. Sed ut raro mortalibus idem ſemper felicitatis tenor eſt, ita fortuna Potocii, cum eò effloruerat, ut ulterius penè progredi non poſſe videretur, ſeſe circumegit. Cum inprimis brevi poſt Coſacorum rebellio ingruiſſet, in tempeſtatis illius primâ quaſi caligine, vitæ & rerum ejus hactenus proſperrimarum curſus ad vadum obhæſit. Inexpectat⁹ præcipuè Tartarorū ad rebelles acceſs⁹, nec non ſtipendiariorū Coſacorum, quibus iterato ſacramento aſtrictis Viri generoſitas fidē habuerat, proditio, (ne alias cauſas jam memorem) in duplicem cladem & in vincula de-

niq; Tartarica ipſum & ſimul florem militiæ Polonę induit. Inflictum ibi Reipubl: atrocisſimum vuln⁹ aggravavit ſecuta mox Vladislai Regis mors, tum neſcio quę patrię infelicitas, quâ capti Potocii abſentia non illicò ęquę autoritatis vel poteſtatis penſata eſt ſucceſſore. Poſtea è vinculis redemptus, ubi pacem cũ Coſacis, quandiu per illos licuit, tuitus eſſet, in belli deniq; arenam, Regni & necesſitate & decreto publico, cum eodē, qui antea infelici inſultaverat hoſte, proſperiore eventu commiſsus eſt. Et adverſa prioris belli, quę ipſi præcipuè, uſitato ſummorum Ducum fato, multi imputaverant, auſpice & Duce Rege fortisſimo, non pœnitendo compenſavit hoſtimento. Nam & ad Bereſteciam fidus adjutor Regis, & poſtea belli hujus toti⁹ præcipuus conſumma-

tor

Digitized by Google

tor fuit: id ſcilicet, cœlo favente, extremum aſſecutus ſolatium & decus, ut vitæ ſuæ labores, quos gravisſimos ſemper ſuſtinuit, partâ Patriæ ſuæ publicâ Pacis tranquillitate terminaret.

Finis.

Brevis Index temporum hujus belli.

ANNO M. IↃC. XLVII. Semina tumultuum Coſacicorum occultè gliſcunt, & deniq; autumno exeunte erumpunt.

Anno XLVIII. menſe Majo ordinarius Regni exercitus duplici clade afficitur, & eodem tempore VLADISLAUS Rex excedit rebus humanis.

Ann. eodem in Auctumno poſt Pilaucianā diſceſſionem, Leopolin & Zamoſcum obſidet hoſtis, atq; ad Lublinum propè ipſum accedit. Sub id tempus eligitur Rex Sereniſſimus IOANNES CASIMIRUS.

Anno XLIX. ineunte, Pereaslaviæ induciæ ad Pentecoſtes usq; feſtum fiunt. Vere vixdum appetente præluditur utrinq; bello.

In Iulio obſidetur ab hoſte exercitus Polonicus ad Zbaraſium: liberatur idem à Rege, pace poſt conflictum ad Sboroviam initâ.

Anno L. Pax cum lubrico hoſte ægrè ſervatur intra Regnum. Sed Muldaviæ, vel ut perperam quidē, uſitatè tamē paſſim vocatur, Valachiæ Palatinatus invaditur ab hoſte; & externa auxilia, ac Turcicum inprimis patrocinium adverſus Poloniæ Regnum ſolicitatur.

Sub

Sub finem anni decernitur in Comitiis Commiſſio ad Coſacos, ſimul miles colligitur, Campiductore ad Rusſiæ defenſionem præmiſſo.

Anno 51. menſe Aprili Rex contra Coſacos & Chanum Crimenſem egreditur, ſub finem Iunii profligantur Tartari & Coſaci, hi mox obſidentur, & tandem perſequentib⁹ profugū hoſtem exercitibus Polonicis & Lithvanicis, exeunte Septembri, pax redintegratur. Quam Deus ratam & diuturnam eſſe jubeat.

Mutanda quin plura hic obſervaturus ſis, lector, non ambigo. Interim aliqua à me ipſo animadverſa annotare hic placuit: cætera quæ vel effugêre oculi diligentiam, vel corrigi niſi aliâ editione non poſſunt, benignitati interim tuæ committo.

PRimò *Inſcriptio per totum librum debuit eſſe talis*, BELLI SCYTHICO-COSACICI LIB. *omiſſa voce* HISTORIÆ. *In dedicat. P. ult. lin.* 2. *poſt* fidenter *pone*, ad Te. *Pag. 11. lin.* 8. *tolle poſt* nunc, comma, *in margine pariter* duplicata commata. *Pag. 12. penult. lin.* glorioſius. *Pag. 40. lin. 10. poſt* incutere, *tolle* comma. *Ibid. lin. 16. poſt* inſtratos *pone* pedes, *& mox poſt* indutus, *pone*, & plures unus *Pag. 43. lin. 4. tolle* comma *poſt* acciperet. *Pag. 45. lin.* 8. *poſt* diſcrimine *tolle* comma. *P. 55. lin.* 10. *pone*, Vitowski. *Pag. 58. lin.* 4. *poſt* jubentem *pone*, clarus bellator. *P. 61. lin.* 8. *poſt* unus, *inſere* (vulgò Major) *P. 64. lin. 11. tolle ſemicolon poſt* aſsveti. *P. 66. lin. 6. pro* felicia, *pone* audacia. *lin. 9. pro* quidem *pone*, ſatis. *P. 67. lin. 6. pone* deſignaret. *P. 68. lin. ultima*, poſterà. *P. 69. lin. 10. pone* amneſtiam. *P. 71. lin. 11. pone* peccaſſet.

12. im

12. in poſterum. *P. 91. lin. 15. pone vocem omiſſam* vires *poſt* Krziczevii. *P. 104. lin. 10. dele* (ut ſupra retuli) *P. 110. l. 5. omiſſum*, Chmelnicius. *P. 113. pro* ſemina *pone* ſcintillæ. *P. 116. lin. 13. pro* Coſacis *pone* Coſacorũ tali licentiæ. *P. 120. lin. 10.* acceſſus. *P. 135. lin. 3. poſt* præcedebant *tolle* comma. *P. 148. lin. 16. pro* eum *pone* ipſum. *Pag. 161. l. 6. pone*, ignaros haud dubiè ita fallentes, *ad ſariſſas autem refer. lin. 8. poſt* arbitrantibus *pone* comma, *P. 176. lin.* 11. *pro* campo *pone* conflictu. *P. 193. lin. 13.* evocabantur. *P. 194. lin. 14. pone* alijsq́; à Branicio Equite in. *P. 195. lin. 2. pone*, pellibus nobilliſſimis eximiæ. *lin. 14. pro* merſum *lege* rurſum. *P. 197. lin. 7. pone* acceſſu. *P. 201. lin.* 17. *lege* retulèrunt. *P. 232. lin. 1. pro* ingentem *pone*, inclytum. *P. 233. pro* Viro *pone* Duci. *lin. 17. poſt* ſtudia, *pone*, nobilitatis. *P. 214. lin.* 13. *pone* ſacramento. *P. 248. lin penult.* tamen. *P. 254. lin. 5. pro* teſt *lege*, eſt.

Digitized by Google

Digitized by Google